MASTER NEGATIVE NO. 91-80382-4

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

MUELLER, LUDWIG

TITLE:

DE FATO HOMERICO...
DISSERTATIO...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1852]

Master Negative #

91-80382-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mueller, Ludwig, 1828-
De fato Homerico. Dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Ludovicus Mueller ... Berolini, Schade [1852]
52 p. 19½ cm.

Thesis, Berlin, 1852.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/19/91 INITIALS mEd
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

FATO HOMERICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VII. M. AUGUSTI A. CIƆIƆCCCLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LUDOVICUS MUELLER
SAXOBORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:
M. WEINGAERTNER, PHIL. DR. ET AA. LL. MAG.
F. DE STEIN, PHIL. CAND.
A. HAGEMANN, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

De fati Homerici vi atque natura, res per se difficili indagatu ac perspectu, quum multi iam iique doctissimi viri disseruerint, non possum quin anxio me atque sollicito animo retractandum hoc argumentum suscepisse profitear: sed quamquam longissime abest, ut superatum iri a me sperem eos, qui antea de hac re disputaverunt, illud tamen mihi solatium est, quod nec ad liquidum res explorata est, ita ut ad finem videatur quaestio adducta esse, quum tamen diversae de hac re sententiae in medium sint prolatae, ut, qui sub iudice adhuc esse hanc litem dixerit, haud sane errasse existimandus sit, et quod de tali argumento multifariam et in diversissimas partes disseri exponique potest.

Fati igitur quae in Homeri carminibus natura sit atque indoles expositurus, ita rem tractabo, ut primo de ipsarum, quibus Homerus significat fatum, vocum notionibus agam, deinde, quomodo summa Iovis potentia reliquorumque deorum cum fati cogitatione conciliari possit, perpendam, denique, quae intercedat inter fatum et homines ratio, disquirere coner.

Fati notio quum apud Homerum necdum satis exculta et subobscura sit, mirum videri non potest, quod pluribus ea nec prorsus similibus denotatur verbis; sunt autem, *μοῖρα, μόρος, αἶσα*[1]). *Μοῖρα* et *αἶσα* proprie significant partem sive portionem. Quum autem aequam praecipue denotent partem coniunctae cum praepositione *κατὰ, κατὰ μοῖραν, κατ' αἶσαν* id significant, quod decet, quod par est, unde *αἴσιμος, ἐναίσιμος,* eodem modo *ἐν μοίρῃ* (Il. τ. 186. Od. χ. 54, cui quodammodo respondet illud: *τίω δέ μιν ἐν καρὸς, αἴσῃ* Il. ι. 378), quibus opponitur *ὑπὲρ αἶσαν* (Il. γ. 59.), *παρὰ μοῖραν* (Od. ξ. 509, idem quod *οὐ κατα κόσμον* Od. ξ. 363); inde *ἐξαίσιος,* quod modum excedit. — Ex hac portionis notione altera illa nascitur potestas, qua, quicquid impertitur hominibus omnino, quicquid unicuique in vita bonorum evenit aut accidit malorum, significant; *αἶσα* etiam sic semel occurrit, ut nulla fortunae, sive secunda sit sive adversa, sed longitudinis tantum ratione habita, vita sit ipsa, vitae

[1]) *Κῆρες* quoniam singulas tantum mortis species, sive violenta est nex, ut in pugna caedes, sive lenis illa vitatium virium dissolutio in ultima aetate paullatim et obscure subrepens (*ἀγανὰ Ἀρτέμιδος βέλη* Od. λ. 172), significant, nec ad vitae decursum omnino pertinent, huc non sunt referendae. Omnibus simulatque nascuntur hominibus *κήρ* attribuitur, qua moriendum est (Il. ψ. 78), nonnullis singulari deorum beneficio binae eveniunt, quarum iis, ut Achilli (Il. ι. 411.) et Euchenori (Il. ν. 665), potestas data est et optio; de his infra videbimus. Quicunque natus est morti, ut cum Horatio (Epist. ad Pison. 63) loquar, debetur et eo ipso, quod *Κήρ* aliquem aufert, fatum impletur; vide Nitzsch ad Od. γ. 236. Naegelsbach die Homerische Theologie etc. p. 129: Und das eben ist des Menschen *μοῖρα*, dafs ihn endlich seine *Κὴρ* erreicht.

portio, quae evenit homini (Il. α. 416); eodem modo *μοῖρα* quoque, sed addita voce *βιότοιο* (Il. δ. 170). *Μοῖρα* etiam sic invenitur, ut ipsa sit secunda fortuna (Od. ν. 76); nec tamen ita, ut per se sit felicitas, sed ex addita demum ea voce, quae opposita est felicitati, *ἀμμορίη,* hanc nacta est vim; idem observare licet in voce illa *μοιρηγενές* (Il. γ. 182), quae, quum, ut mihi videtur, non minus eum significare possit, qui ad miseriam natus est, quam Fortunae filium[1]), additis demum verbis *μάκαρ* et *ὀλβιόδαιμον* hanc invenit notionem; referenda huc *παραίσια* illa *σήματα* ex Il. δ. 381 videntur, infausta omina, quamquam is quoque, qui haec ad ipsam fati horum verborum notionem pertinere statuerit, causas idoneas afferre poterit. In bonorum vero malorumque portione, quae adsignata est homini, quum fatum sit situm, in has voces fati ipsius notio, sive felix faustumque est, sive secus, cadit (*μοῖρα* Il. ζ. 488. η. 52. ι. 318. ο. 117. π. 434. ρ. 421. ψ. 80. Od. γ. 269. δ. 475. ε. 41. 114. 345. ι. 532. λ. 292. 560. χ. 413; *αἶσα* Il. α. 418. ε. 209. ζ. 487. ι. 608. π. 707. 780. ρ. 321. χ. 61. 477. ω. 224. 428. 750. Od. ε. 113. 206. 288. ϑ. 511. ι. 52. λ. 61. ν. 306. ξ. 359. ο. 276. τ. 259. ψ. 315.; eodem modo *αἴσιμόν ἐστι* Il. ι. 245. ο. 274. φ. 291. 495. Od. ο. 239.; *μόρσιμόν ἐστι* Il. ε. 674. τ. 417.; *μόριμόν ἐστι* Il. υ. 302.; *μόρος* Il. ζ. 375. τ. 421. φ. 133. Od. α. 166. λ. 618.; sic is iubetur Penelopen in matrimonium ducere, qui *πλεῖστα πόροι καὶ μόρσιμος ἔλθοι* Od. π. 392. φ. 162; inde *ἰσόμορος, δύσμορος, ἄμμορος, αἰνόμορος, ὠκύμορος,* alia; sic *πέπρωται, εἵμαρται* Il. γ. 309. σ. 329. φ. 281. Od. ε. 312. ω. 34.);

[1]) Hor. Serm. II. 6. 49. Soph. Oed. Rex 1050. Wunder.

quum autem videant homines, a fato mala saepissime immitti, quum persaepe iniquissimam experiantur fortunam, factum est, ut fati notione pro ipsa utantur morte, quam, qualis heroicorum de ea temporum sententia fuit, non poterant non summum existimare malum [1]); huc accedit, quod in morte fati potentia maxime apparet (*μοῖρα* Il. *γ*. 101. Od. *φ*. 24.; *μόρος* Il. *σ*. 465. *χ*. 280. *ω*. 85. Od. *ι*. 61. *λ*. 409. *π*. 421. *υ*. 241.; *αἶσα* Il. *π*. 441. *χ*. 179.; *μόρσιμον ἦμαρ* pro ipsa obitus die Il. *ο*. 613. Od. *κ*. 175.; nec aliter *αἴσιμον ἦμαρ* Il. *φ*. 100. *χ*. 212. Od. *π*. 280, et addi potest Il. *ϑ*. 72, ubi omnibus Argivis est cladis dies; *μόρσιμον* se non esse is dicit, cui omnino non moriendum est Il. *χ*. 13). Sed *μοῖρα* et *αἶσα* non solum id significant, quod impertitum est hominibus; ipsae enim fiunt numina, quae impertiunt. Quorum numinum quae fuerit potestas et munera infra accuratius definiam; illud statim annotare liceat, nullam horum numinum adparere vim, nisi in morte hominis.

Haec mihi breviter de vocibus illis dicenda erant, in quibus fati inest notio; multo autem majoris momenti ad intelligendos et pernoscendos heroicorum temporum mores atque ingenium, altera est quaestio, quale fatum illud cogitatum sit; utrum diversum sit a Iovis deorumque decretis, an fatum appellentur ipsa illa decreta: si diversum, utrum Iupiter ipse fato sit inferior, an nihil valeat fatum contra majorem Iovis potentiam: si Iupiter diique fato sint inferiores, qui factum sit ut cultus omnis atque religio non sit eversa [1]): si fatum subditum Iovis arbitrio, quomodo omnino fati cogitatio exsistere potuerit. Verumenimvero quum fati notio ita sit comparata, ut admodum sit obscura et vaga, quoniam nos quoque, quamvis deum omnia curare et regere certo sciamus et in rebus etiam minutissimis praesentem eius vim et potentiam agnoscamus, saepe in sermonibus tamen ad fatum referimus, quae ad deum solum referenda esse arbitramur ipsi [2]), mirari non possumus, quod in Odyssea quoque et Iliade talis mentio fit fati, ut difficile sit dignoscere, quomodo natura fati et potentia sit adumbrata. Priusquam igitur accedam ad ipsam quaestionem, qualis mihi fati natura visa sit, qualemque esse revera demonstratum iri a me spero, breviter exponam: est sane fatum diversum et a Iove et a decretis illis in deorum concionibus conceptis: ab his decretis, quum raro a fato dissentiant dii, fere quidem non discrepat fatum, ipsisque illis decretis non raro fati imponitur nomen, sed ita comparatum est, ut, quamquam in regendis Iovis consiliis menteque gubernanda aliquantum valere dici potest, de ipsius tamen Iovis potentia detrahat nihil neque imminuat eam. Quod qui fiat, accuratius iam explanaturus sum.

Heroica aetas, quippe quae hominum tam similes conformaverit deos, ut suae ipsorum naturae effigiem propo-

[1]) Naegelsbach l. c. p. 330: Gerade das ist des Menschen Unseligkeit, dafs er im *δειλὸς βροτὸς* ist, dafs er gelitten hat im Leben, um noch unglücklicher zu werden im Tode. Vide praecipue Od. *λ*. 488 sqq.

[1]) B. Constant de la religion, tome III. l. VII. ch. VII. p. 363: Une fatalité absolue, en rendant la divinité inutile à l'homme, serait destructive de tout culte. — Cic. de Nat. Deor. I. 2: Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio?

[2]) Haentjes: Ueber die Schicksalsidee bei Homer und den Tragikern. Progr. Colon. Agripp. 1848. p. 17.

suisse in diis statui possit, quum non iucunditates solum, quae hominum delectant animos, et commoda ad deos transtulerit, verum dolores etiam et aerumnas permultas, et cum deorum ipsum corpus sit hominum corpori simile, mirum esse non potest, quod instituta quoque moresque deorum ad humani generis speciem effinxit, quod deorum quoque regnum esse statuit ad eorum, qualia in terra erant hominum, regnorum imaginem conformatum [1]). In omnibus aetatis illius civitatibus unum invenimus regem summo imperio et potentia praeditum; praeter eum videmus senatum (*βουλὴν γερόντων* seu *βασιλεῖς*), qui, quum consilio et auctoritate adsit regi atque in omnibus rebus gerendis, quae maioris sunt momenti, consulatur, non tamen tantum pollet, ut infringere aut prohibere possit, quae rex ipse decrevit, neque rex huic senatui consiliorum rationem reddere coactus est [2]). Senatum hunc invenimus in Argivorum exercitu (Il. *β*. 53.); in Ithaca plures occurrunt reges, quibus absente Ulixe rerum publicarum cura videtur commissa fuisse (Od. *α*. 394.); in Scheria praeter Alcinoum duodecim sunt reges, quorum ipse est dominus (Od. *ϑ*. 390. 41. 47.). Neque regem illum, penes quem summa est potentia, ita constitutum fuisse, ut primus sit inter pares, sed revera princeps, magno mihi argumento videtur esse Agamemno, cuius quanta sit auctoritas et potentia tota documento est Ilias; idem observare

---

[1]) **Goettling. Hermes. Vol. XXIX p. 244 sqq. Schmalfeld: De fato Homerico. Part. I. p. 5. Progr. Isleb. 1836. Naegelsbach l. c. p. 71 sqq.**

[2]) **Hase: Griechische Alterthumskunde p. 84. Naegelsbach l. c. p. 94 sqq. et p. 241 sqq.**

licet de Alcinoo et Ulixe; eodem spectat sententia illa ab Ulixe (Il. *β*. 204.) praecepti instar pronunciata:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

Quam libenter autem eo tempore regio imperio paruerint Argivi inde colligi potest, quod Thessali illi, quorum rex Protesilaus primus omnium occisus erat, ipsi cupidissimi sunt renovandi regni, quod vehemens eorum studium non melius exprimere potuit poeta, quam repetita eadem illa voce *πόθεον* (Il. *β*. 703 et 709.). Senatus deinde illius, quamvis non liceat ei prohibere principis consilia, sed consulere tantum concessum sit, magnam fuisse vim ad moderandum regis animum gubernandamque et administrandam civitatem negari non poterit. Unum igitur certe habemus regiae potentiae repagulum, quod, quamquam facile rumpi ac divelli potest a rege, est tamen repagulum. Sed alios etiam investigare licet terminos, quibus circumscripta est regia potestas, qui non tam facile migrari possunt, quam senatus illa auctoritas. Scriptis quidem legibus iisque aeri insculptis hanc aetatem non fuisse usam, inde iam intelligere possumus, quod artem omnino scribendi non callebat [1]), sed erant sane leges eaeque a summo numine ingeneratae et, quamquam non in aere, in animis tamen hominum quasi insculptae, de quibus nescio an melius quid dici possit, quam Sophocleum illud:

εἴμοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων ἔργων τε πάντων,
ὧν νόμοι πρόκειντai

---

[1]) **F. A. Wolf Prolegg. ad Homer. §. 12—21.**

ὑψίποδες, οὐρανίαν
δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
Θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν, οὐδὲ μήν ποτε λάθα κατακοιμάσει·
μέγας ἐν τούτοις θεὸς οὐδὲ γηράσκει[1]).

Tales heroica iam aetate leges viguisse, quum ex ipsius animi humani natura necessario concludi debeat sponteque consequatur, tum tot in ipsis Homeri carminibus exstant exempla, ut singulis locis afferendis facile supersedere possim. Universi etiam populi habentur conciones (*ἀγορά*), non autem ut deliberetur de aliqua re, sed ut aperiantur populo regum placita senatusve consulta; populus aut silet silensque, postquam audivit, discedit, aut acclamatione, placere sibi quod decretum sit, indicat. — Eodem modo deorum administrari civitatem iam videbimus. Omnium deorum principatum tenenti Iovi adest quasi senatus deorum eorum, qui quodammodo appellari possunt maiorum gentium, cum iisque consilia communicantur et decreta fiunt, quod multis legimus locis. Cuius senatus auctoritatem Iupiter, quum ipse cogi nequeat, infringere tamen veretur. Convenire videmus haec consilia cum *βουλῇ* illa *γερόντων* sive *βασιλέων*; sed legimus etiam de *ἀγορᾷ* deorum, ad quam vocantur praeter maiorum gentium deos Fluvii omnes et Nymphae, Il. *ϑ*. init. et Il. *υ*. init. Quibus in concionibus non decreta fiunt, nec quid gerendum aut quomodo res peragenda sit deliberatur, sed Iupiter quum consilia sua aperiat, tum deos omnes deterret ab ineunda

[1]) Oed. Rex 837. Wunder; cf. Antig. 452.

pugna, tum ad pugnam ab ipsis committendam impellit. Ut autem deorum haec concilia, Iove habita praeside, concioni illi omnium Achivorum Il. *β*. init. habitae respondent, deorumque superiorum senatus *βουλῇ* illi *γερόντων*: utrum ita vis etiam et potentia exstet praeter Iovem, respondens legi illi, animis hominum insitae, jam videamus. Et exstare revera reperiemus. Qui enim eam fato tribuerit potentiam, eum prope abesse a vera de fato sententia contenderim. Non quidem mihi quae Schmalfeldii de fato est sententia[1]), moralis et naturalis legis videntur a fato vices sustineri; qui enim fatum legis illius immutabilis, numquam senescentis, semper vigentis, partes agere poterit, fatum dico, quod, quum ad omnes, quaecunque fiunt, res nequaquam videatur pertinuisse, multas incertissimas et dubias reliquerit? quum praesertim fati natura ita sit comparata, ut decreta eius haudquaquam ad certam normam legemque revocari possint. Illud tantum hac comparatione assequi volo; praeter Iovem, quum adsit ei deorum senatus, cuius utatur consilio, exstare aliam etiam vim ac potentiam, diversam ab ipso, quae quid sit agendum praescribat, ita tamen, ut semper ei summa et integra sit potentia, quicquid placeat agendi et quacunque libeat ratione ipsius consilia perficiendi; quamquam infringere caveat fati potentiam, non tamen maiore fati vi ipsius irrita fieri neque valere nihil consilia; potest mutare fatum et tollere, non tamen ipse evertit; boni nempe regis instar, cui tantum abest, ut *ἄγραφος* ille *νόμος*, de quo supra dixi, impedimento sit, ut exoptatius nihil a natura datum esse videatur, numquam fere Iovis consilia a fati

[1]) l. c. pag. 5.

decretis dissident[1]). Usus igitur sum hac comparatione ea sola de causa, ut quae inter Iovis fatique potentiam intercedat ratio intelligatur apertissime.

Priusquam autem ad ipsam accedamus quaestionem, qualem in regendis constituendisque rebus humanis fatum exercuerit vim certioribusque eius potentiam definiamus terminis, de Iovis ipsius agendum est persona, qualis descripta sit a poeta. Summus ille deus, quamquam, quae Homericorum hominum de eo opinio est, omnia et scire perhibetur et posse (Od. δ. 237. υ. 75. Il. ν. 631), pluribus tamen locis talis apparet, cuius nec potentia nec scientia perfecta omnibusque numeris absoluta sit. Sic narratur ab Achille, Iovem quondam, quum a Iunone, Neptuno, Minerva vinctus fuisset, solvi non potuisse, nisi centimanum illum Briareum auxilio vocasset Thetis[2]). Saepe Iuno dolo et fraude eum decepisse et circumvenisse dicitur: quum Herculem honore et regno privasset (Il. τ. 96 sqq.),

[1]) De quo Iovis erga fatum obsequio Senec. de Prov. c. V.: Ille ipse, inquit, omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper paret, semel iussit. Pauly Realencyclopädie s. v. fatum: Dessenungeachtet ist er nicht sowohl absoluter Herrscher der Begebenheiten, als vielmehr constitutioneller Lenker und Ordner. Cf. Solger: Verm. Schriften II. p. 698: Das Schicksal und die allgemeine Naturmacht ist gleichsam der ewige Stoff, den Zeus in der Wirklichkeit und Besonderheit verarbeitet: ohne ihn wäre jenes nur dunkele seelenlose Nothwendigkeit.

[2]) Cuius Briarei (Il. α. 396 sqq.) persona quamquam nihil aliud, quam ipsius Iovis robur et vis videtur significata fuisse, quae est *Κράτος* et *Βία* apud Aeschylum in Promethei fabula (cf. Goettling. Hermes. vol. XXIX. p. 252), Homerica tamen aetate quae sententia in talibus narrationibus involuta lateret evanuerat.

quum Neptunum clam et invito Iove opem Agrivis ferentem Iovis subducere voluisset oculis (Il. ξ. 159 sqq.), eadem Irim ad Achillem mittit *κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν* (Il. σ. 168). Nemo deorum locum illum compertum habuisse dicitur, quo Vulcanus a Thetide et Eurynoma abditus fuisset (Il. σ. 403). Postquam Iupiter, Achivis ad naves compulsis (Il. ν. init.), a nullo sperans deo auxilium latum iri, oculos avertit ab agro Troiano, statim adest Neptunus, qui afflictas Argivorum opes restituere conetur. Praeterea inde etiam intelligitur Iovis potentiam omnibus numeris expletam non fuisse, quod vix et aegre finem fecisse bello Troiano dicitur Od. γ. 119; neque illud silentio transeundum est, quod, ne Achilles contra fatum expugnet Troiam, metuit (Il. υ. 30); qui enim omnino metuere dicitur, eius non plena est potentia. At vero si quis, missos faciens paucos hos locos, illuc adverterit animum, quanto, ubicunque alias occurrit, dignitatis et magnificentiae splendore ornata sit Iovis persona, negare is non poterit, summum omnium, quaecunque sunt, numinum locum teneri a Iove. Huius omnia nutu reguntur et gubernantur: cuius nutus, qualis describitur Il. α. 524—530 (vide praeterea Il. ϱ. 209. λ. 182. υ. 155), quanta est maiestas! quanta dignitas! Quamquam non omnia plane, longe tamen plurima scientia sapientiaque complectitur; quicquid placet perficere potest: itaque etiamsi, ut vidimus supra talia narrantur, quae cum perfecta Iovis potentia et scientia pugnent, illud tamen tenendum est, vulgatam fuisse opinionem, omnia scire Iovem et posse omnia; si quid secus narretur, discedi a solito more[1]).

[1]) Recte de causa cur poeta talia finxerit disputavit O.

Haec suppeditabunt ad Iovis ipsius personam summatim describendam: quae autem ratio inter deos intercedat et Iovem videamus. Iupiter deorum est dominus et princeps maiestasque et dignitas eius,

unde nil maius generatur ipso,
nec viget quicquam simile aut secundum[1]),

quanto maior sit omnium ceterorum deorum potentia, ex Iliade magis intelligere licet, quam ex Odyssea. In Odyssea enim quum omnes fere dii consentiant, Ulixi, omnibus amissis sociis postquam Neptuno ob effossum filii oculum poenas dederit, ipsi incolumi in patriam esse redeundum, Minerva, perpetua alias Ulixis patrona, avunculi pietate (Od. ξ. 329. ν. 341) a tutela eius prohibita, nemo omnino impedimento est Neptuno, quominus defatigando Ulixem irae satisfaciat; postquam autem decretum factum est, post longinquos illos errores reditum iam concessum iri Ulixi, non ultra quam per decretum illud licet vexat vexatumque satis asperrimeque tractatum in tutum illum Phaeacum portum pervenire patitur, unde incolumi in patriam reverti licet. Quodquum nullam in Odyssea videamus esse deorum rixam, nullam fere discordiam: longe aliter res se habet in Iliade. Diis enim ipsis, quum alteri Troianorum faverent rebus, Argivorum alteri, in duas discedentibus partes, multae rixae, multa iurgia, Iovis saepe iussis pertinacissima opposita pervicacia, quin manibus denique collatis pugna cominus facta. Quorum omnium discordium deorum unus principatum tenet Iupiter, cuius ditioni ad unum

Mueller Prologg. einer wissenschaftlichen Mythologie p. 247. Creuzer, Symbolik vol. II. p. 458. Haentjes l. c. p. 3. Dissen, kleine Schriften p. 348.

1) Hor. Carm. I. 12. 17.

omnes, nullo excepto, sunt subditi (Il. ε. 877); omnium deorum vires ac robur si in unum comprehenderis contra unius Iovis maiorem potentiam adeo nihil valent (Il. ϑ. 7—27. 32. α. 566), ut, quamvis indigne ferant (Il. μ. 179. ο. 21. 101. 104), non tamen haec curet Iupiter (Il. λ. 78 sqq. ο. 106); neminem omnino timet (Il. α. 515), nec pugnare licet cum eo (Il. ϑ. 210); consilia eius per deos irrita fieri non possunt (Il. ϑ. 451. 463. Od. ε. 103); iram mirum quantum extimescunt dii (Il. ο. 123. 134—137). Quantopere autem robore viribusque ceteros praecellit deos, tantopere sapientia etiam (Il. ν. 631) superior est Iupiter, *ἄφθιτα μήδεα εἰδώς, ὕπατος μήστωρ.* Qua de causa omnes dii priorem ei concedunt locum (Il. α. 495), omnes adventanti adsurgunt (Il. α. 533), solum hunc Somnus invitum opprimere non audet (Il. ξ. 244 sqq.), deus hic summus seorsum sedens de gubernandis meditatur hominum rebus et de regendo mundo (Il. α. 498), solus hic, si deos exceperis inferos et Oceanum, pugnae illi deorum non interest (Il. υ. 155); Pylii, ut virorum fortissimo Nestori, sic deorum optimo maximo Iovi reportatae victoriae gratias agunt (Il. λ. 761). Omitto innumeros illos locos, ubi Iupiter apellatur *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, κύδιστος, μέγιστος, θεῶν ὥριστος, ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,* alios, ubi imperium ei tribuitur deorum et hominum[1]). Quod quum deorum omnium, Oceano etiam extimescente potentiam eius (Il. φ. 195 sqq.), princeps sit

1) Somni (Il. ξ. 233) et Noctis (ib. 259) imperium, quamquam similibus poeta utatur verbis, comparari cum Iovis imperio nequaquam posse, sponte patet; quare nihil videntur valere, quae Delbrueck: Homeri religionis quae ad bene beateque vivendum heroicis temporibus fuerit vis, p. 49 affert.

et rex quumque ipse ille deorum superiorum senatus nihil habeat aliud, quod opponat Iovis sententiae ab ipsius dissentienti consulto, quam illud, quod saepius legimus, *ἔρδ'· ἀταρ οὔτοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι:* fieri nullo modo potest, ut singuli dii, quantacunque est potentia, valeant quicquam contra Iovis consilia: id quod, quum ita manifestum sit reapse, ut demonstratione egere haud videatur, tum a Naegelsbachio[1]) talibus probatum est rationibus, ut confutari nequeat.

Horum autem deorum quum omnium tum Iovis praecipue auctoritate et consiliis res humanae reguntur: nihil fere, quod aut prosperum contingat aut adversum, quod aut gaudium afferat aut dolore afficiat, ad deos non refertur: quicquid agunt homines diis fit auctoribus. Quippe dii quum sciant omnia (Od. δ. 379. 468), quumque omnia possint (Od. κ. 306. ξ. 445), quamquam multis locis tales apparent, ut multa esse, quae efficere non possint, fateantur ipsi, ut nec scientia nec potentia ex omni parte perfecta sit[2]), nihilo tamen secius, quae hominum de iis est opinio, tum homines, modo velint, ab omnibus miseriis et periculis vindicare posse perhibentur (Od. ξ. 348. 357.), tum quicquid ex optatum est homini suppeditare et praebere. Quapropter quo quis carior est diis eo felicior est; quem oderunt dii, ei nihil non secus cadit: quem dii amore prosequuntur, is ab hominibus quoque plurimi aestimatur; fugiunt homines et despiciunt, quem diis in visum esse arbitrantur. Quicquid diis geritur probantibus

[1]) L. c. p. 92—105. Contrariam huic sententiam minus feliciter tuetur Harless: De theologia imprimis fato et Iove Homeri in Opusc. var. argum. p. 430 sqq.

[2]) Naegelsbach l. c. p. 18—22.

et adiuvantibus, id prosperum habet eventum: quicquid improbantibus et invitis fit diis, ex sententia procedere nequit. Quodubi dii opus fortunant, agri uberes ferunt fructus, pecora augentur. Praesto sunt itinera facientibus, secundum mittentes ventum, compescentes mare, pericula depellentes; a diis somnus, a diis somnia. Summam igitur in deorum auxilio ponebant fiduciam. Divitiae non minus quam egestas, aeque laetitia et felicitas atque aegritudines et calamitates ad deorum arbitrium distribuuntur hominibus. Homines, quibuscunque florent artibus, eas a diis acceperunt, quacunque splendent corporis venustate et gratia, ea a diis ornati sunt; iidem venustate orbare possunt. Quicunque fortis est, diis debere putatur fortitudinem; dii laboribus defatigatos et enectos erigunt et confirmant: quin iuvenilem etiam speciem renovare possunt. Quicunque est honor, regium praecipue imperium diis, Iovi imprimis, acceptum refertur. Matrimonia:

ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσιν,
χάρματα δ'εὐμενέτῃσι· μάλιστα δέ τ'ἔκλυον αὐτοί[1]),

quum per deos coniungantur, progenies etiam deorum debetur beneficio deorumque benevolentia incrementa capit. Dii sapientiam praebent hominibus et ingenii aciem, iidem occaecant animum et hebetant; dii mentes hominum regunt et memoriae succurrunt: quum ipsi vates illi, qui regum intersunt epulis, non quicquid ipsis placeat celebrent carmine, sed quicquid deus suggerat. Dii et iram movent immitemque reddunt hominis animum et timorem iniiciunt. Maxime in rebus etiam bellicis versatur deorum potentia, qui, quum ipsi bella

[1]) Od. ζ. 183 sqq.

concitent, quid ipsis de belli pugnarumque ordine et eventu placeat, aperiant auguriis et prodigiis; qui, quum universi belli sint arbitri, tum victoriam praebent et gloria ornant, tum calamitatem, cladem, defatigationem, vulnera, fugam cient; dii ne strages fiat probibere possunt, iidem homines ad pugnam stimulant stimulatosque ad mortem ducunt et interficiendos curant, ipsive interficiunt aut caedem propulsant. Dii, ut moverunt bellum, ita sedant etiam et finem ei imponunt. Deorum est punire peccata hominum: quum enim instituta illa, quibus nititur generis humani societas et congregatio:

> publica privatis secernere, sacra profanis,
> concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
> oppida moliri [1]),

quum hospitii sanctitas et una excellentissima virtus, iustitia, originem accepisse putentur a diis, quum hominum praecipue superbia et insolentia diis invisa sit: dii ulciscuntur et poenas expetunt ab eo, qui sanctas has leges violaverit. Benevolentiam autem deorum ut concilient sibi, quum omnes omnino homines deorum opera carere nequeant, quumque dii ipsi, ut veteres illi Graecorum proavi (Il. *ι*. 526. *ο*. 203), donis precibusque flecti possint, opus est sacrificiis et precibus, quas non fore irritas sperare poterant, quum dii ubique preces ad se factas audire possint (Il. *π*. 515). Qui integer est vitae scelerisque purus, is sperare potest fore, ut votorum compos fiat (Od. *δ*. 807). Qua de causa homines modeste se deorum subiiciant potentiae oportet (Od. *χ*. 287. *ψ*. 81. Il. *α*. 218).

Quodquum, ut vidimus tanta sit deorum potentia, ut

---

[1]) Hor. Epist. ad Pison. 397 sqq.

mente eorum atque ratione non solum omnis mundus administretur et regatur, sed etiam ab iisdem vitae hominum consulatur et provideatur [1]): quid quaeso superest, quod ad fati decreta, quae olim et antiquissimis facta sint temporibus neque e deorum pendeant auctoritate delegandum esse videatur? et quae est fati potentia comparata cum deorum Iovisque efficientia? Qua de re ut certius quid statuere possimus, locos examinemus eos, ubi voces illae *αἶσα, μοῖρα* leguntur. Ac primum quidem videamus, quae numinum illorum, quibus *Αἶσα* et *Μοῖρα* nomen est, munera sint et potentia. Non agunt apud Homerum haec numina, nisi temporibus illis, quo nascitur homo et quo moritur. Nascenti homini statim ipsa natali hora Parcae illae, ut hoc utar nomine, vitae ducunt stamina. Quod filorum nendorum negotium, quantum e paucis illis locis, ubi de nentibus his nominibus loquitur poeta (Il. *ω*. 209. *υ*. 126. Od. *η*. 196 [2]), consequi videtur, ipsa natali homi-

---

[1]) Sext. Empir. adv. mathem. IX, 63. p. 566 Fabricius: *πάρεστι τὴν ποιητικὴν ὁρᾶν, μηδὲν μέγα μηδὲ λαμπρὸν ἐκφέρουσαν, ἐν ᾧ μὴ θεός ἐστιν ὁ τὴν ἐξουσίαν καὶ τὸ κράτος τῶν γινομένων πραγμάτων ἐνημμένος· ὥςπερ καὶ τῷ ποιητῇ Ὁμήρῳ κ. τ. λ.*

[2]) Quo loco retinendam vulgatam librorum scripturam, neque cum Nitzschio mutandam esse in *κατακλώθησι βαρεῖα,* ita ut qui sequitur versus omittatur, quae emendatio ne ipsi quidem certa atque explorata videtur esse, censeo et quia Il. quoque *ω*. 49 *Μοίρας* plurali invenimus numero (vide Naegelsbach l. c. p. 117), nec eam causam, quam affert Maetzner (de Iove Homeri p. 75), quod semper Homerus de hac re verbis *ἐπικλώθειν, ἐπινεῖν* utatur (cf. l. l. modo c. c., et Il. *ω*. 525. Od. *α*. 17. *γ*. 208. *δ*. 208. *θ*. 579. *λ*. 139. *π*. 64. *υ*. 195), neque usquam *κατακλώθειν, κατανεῖν,* prorsus contempserim, quamquam si huic argumento magna tribuenda sit vis, Homero ne hic quidem *Κατακλῶθες*, sed

nis hora quum absolvatur — quae vis inest in aoristo —, ad nihil pertinet, nisi ad mortis genus, quo homini moriendum est. In ipsa hominis vita nulla versatur horum numinum efficacitas, quum locus ille Il. ω. 49:

τλητὸν γὰρ Μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν,

quae mea est opinio, ita explicandus sit: *Μοῖραι* frequentibus parentum, liberorum, consanguineorum funeribus tolerabiles reddiderunt hominum animos. Sunt igitur hic quoque Parcae illae numina mortifera: alterum enim harum dearum munus versatur in morte hominis: *Μοῖρα* enim — *Αἶσαν* hoc nomine non legimus —, adsistens (Il. π. 853. ω. 131. φ. 110. Od. ω. 28) hominem, cui decedendum est e vita, comprehendit (Il. ε. 83. π. 334. ν. 478. Od. β. 99. τ. 144. ω. 134. γ. 238. Il. χ. 303. 436. ϱ. 478. 672. μ. 116; quod de homine proprie dicitur, id ad Argum canem transfertur Od. ϱ. 326.) comprensumque vel domare (Il. σ. 119.) vel vincire (Il. δ. 517. χ. 5.), alios ad ultimam pugnam impellere (Il. ε. 629.), alios ad mortem ducere (Il. ε. 613. ν. 602.), alios interficere (Il. π. 849. cf. τ. 409) dicitur. In sola igitur hominis morte horum numinum versatur potentia. Quibus numinibus quamquam cum Parcis, quales postera demum aetas inde ab Hesiodo effinxit, magnam

Ἐπικλῶθες videtur dicendum fuisse. Gravior autem haec causa mihi videtur esse, cur Nitzschii emendationem improbandam esse censeam: quia non praesente, sed, nisi egregie fallor, aoristo poeta tempore usus esse videtur; nendi enim illud negotium quum reliquis locis omnibus proponatur tale, ut in ipsa natali hora perfectum esse appareat, nec praesens usquam nec perfectum tempus de hac re occurrit. Accedit ipsius, quam supra dixi, Homeri auctoritas (Il. ω. 49), quae tuetur pluralem numerum.

intercedere similitudinem negari nequit: nihil tamen legimus, quod Hesiodearum Parcarum respondeat his muneribus [1]):

αἵτε βροτοῖσιν
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,
αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι
οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο
πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅςτις ἁμάρτῃ.

Homericae Parcae — quarum nec certum numerum fuisse nec singulis nomina veri est simillimum [2]) — nihil agunt, praeterquam quod nascenti homini *κῆρα* constituant, qua obeundum est (Il. ψ. 78): mortem obituro maturent, mortisque tempus, nisi aliter dii consuluerint, definiant [3]). Quorum numinum potentia quin deorum imperio ex omni parte subdita fuerit non videtur dubitari posse: nam quod ipsa Iuno (Il. ν. 126), posthac, ait, non se prohibituram esse, quominus, quod de Achillis morte a Parca consti-

[1]) Theog. 218. sqq. cf. 904 sqq.

[2]) Quod idem observare licet de Musis, quarum, quamquam saepius fit mentio, nec nomina nec numerus traduntur. Od. enim ω. 60 huc referri non potest, quia quum ultimam Odysseae partem, tum omnium harum rerum apud inferos gestarum narrationem posteriori aetati originem debere multis de causis constat.

[3]) Nec mirum cuiquam potest videri, quod haec potissimum numina iisdem, quibus fatum, appellantur nominibus: in ortu enim et in morte quum vitae humanae versentur cardines, ea numina, quorum his ipsis temporibus apparet efficientia, fati nomine appellata esse, par est; cf. Manso: Versuche über einige Gegenstände aus der Mythologie der Griechen und Römer p. 518: Ein Blick auf das menschliche Leben lehrte, dafs nichts wichtiger als sein Anfang, nichts bedenklicher als sein Ende. Siehe da die beiden vorzüglichsten Aemter der Schicksalsgöttinnen.

tutum sit, usu veniat, talibus dictis, deos his Parcis inferiores cogitatos fuisse, demonstrari non potest; nihil enim dicit Iuno, nisi non se mutaturam esse, quodcunque mortis genus Achilli ab *Αἴσῃ* constitutum sit [1]). Exstant autem loci, e quiebus, *Μοῖραν* hanc nihil agere, nisi e deorum auctoritate necessario sequitur. Legimus Il. σ. 117:

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα —,
ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης.

Num *Μοῖραν* credamus causam fuisse, quod Iuno irasceretur Herculi iramque ipsam Iunonis a numine constitutam fuisse, quod potentia antecelleret Iunonem et praevaleret; an sic potius res se habet: Iuno, quum irasceretur Herculi mortemque ei maturatura esset, Parcam ei immisit? Num Iuno eum *Μοίρας* iussu interfecisse censenda est, an *Μοῖρα* Iunonis? Vide praeterea Il. φ. 82:

— νῦν αὖ με τεῆς ἐν χερσὶν ἔθηκεν
Μοῖρ' ὀλοή· μέλλω που ἀπέχθεσθαι Διὶ πατρί,
ὅς μέ σοι αὖτις ἔδωκε.

Quis dubitabit, quin Iupiter immiserit *Μοῖραν,* quum odisse dicatur Lycaonem? *Μοῖρα* enim ipsa neque diligere dicitur quemquam neque odisse: Iovis igitur obsecuta odio Lycaonem *Μοῖρα* trucidandum tradit Achilli. Sic Il. quoque τ. 409 Iovis consiliis perficiendis inservit *Μοῖρα* [2]). Inferiora igitur haec numina sunt diis, id quod etiam ex ipsorum deorum potentia patet: morti enim mor-

[1]) Haentjes l. c. p. 7.
[2]) Aliter Geier: Ueber die Entwicklung und Bedeutung der Schicksalsidee bei den Alten (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1838. Nr. 142), haec numina deorum exsequi iussa demonstravit.

tales omnium communi (Od. γ. 236. ω. 29) quum eripi non possint nisi singulari Iovis beneficio, penes quem ipsum est statuere harum Parcarum opera tempus, quo homini moriendum est (Il. σ. 115. χ. 365. γ. 308): quumque, quamquam ipsa dicit Minerva (Od. γ. 236), quem comprehensum iam teneat *Μοῖρα,* ab eo ne deos quidem mortem posse defendere, et (Il. ο. 140), difficile esse — fieri omnino non posse non dicit —, ab omnium hominum prole mortem propellere, saepe videamus a Iove immortalitatem concessam esse hominibus, ut Ganymedi, Rhadamantho, Tithono, Clito, quin Calypso etiam, inferior dea, Ulixi, nisi adversetur Iupiter, immortalitatem polliceatur, quum Menelao quoque deorum decretis (Od. δ. 561) adiudicata sit immortalitas, quum Ino, quae mortalis fuerat (Od. ε. 334), et ipsa immortalis facta sit dea, quum Tyndaridae fratres apud inferos Iovis beneficio (Od. λ. 303):

ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ'αὖτε
τεθνᾶσιν [1])

nisi omnia me fallunt, sic rem se habere arbitror: quem comprehensum iam teneat *Μοῖρα,* eum ne dii quidem, si unum exceperis Iovem, morti eripere possunt; arcere autem et prohibere *Μοῖραν,* priusquam comprehenderit, valent. Adde magnam illam fiduciam in deorum potentia positam (Od. δ. 752):

εὔχε' Ἀθηναίῃ, κούρῃ Διὸς αἰγιόχοιο,
ἢ γάρ κέν μιν ἔπειτα καὶ ἐκ θανάτοιο σαώσαι!

Iam vero de ipso fato videamus, quid statuerit poeta: illa enim numina, quamquam sunt fatalia, fatum tamen

[1]) Omitto Herculum (Od. λ. 601) quia hic locus in maximam vocatus est suspicionem.

ipsum nec sunt nec dirigunt: nam fatum ipsum nusquam ne speciem quidem personae prae se fert [1]). Multi autem sunt loci, quibus *μοῖρα, αἶσα* etc. ita usurpantur a poeta, ut de deorum vix efficacitate vel decretis, nedum de fato praestituto cogitare eos, qui loquantur manifestissimum sit. Quorum locorum ut demonstrem naturam, nullum aptiorem afferre posse mihi videor, quam hunc: *οὔτ' ἄρα τέ σφι κιχήμεναι αἴσιμον ἦεν* (Il. ο. 274; idem in locum illum cadit Il. φ. 495). Comparantur hoc loco Achivi, fugientes postquam in pugnam rediit Hector, cum canibus, quae in cervum irruentes vel capellam, quam capere a fortuna non datum est, fugantur leonis interventu. Quis est, qui hoc loco de fato praestituto decretisve deorum cogitet? Quum enim proprie nusquam alio, quam ad solas canes — quibus a poeta fatum tributum esse vix erit quisquam qui contenderit, — spectet *αἴσιμον* illud, hic non aliter interpretari poterimus, quam ita, ut nulla alia hujus locutionis sit vis, quam fortunae omnino, ut *αἴσιμόν ἐστι* nihil hic sit, quam omnino contingit, evenit, neque censendus sit poeta de fati deorumve ipsorum efficacitate cogitasse. Compluribus praeterea locis fati notionibus ita utitur poeta, ut non tam cogitaverit de vi aliqua, quae valeat in vita hominum constituenda, quam ut omnino significet his vocibus, quod evenit homini, quod accidit, non revera ad fatum respiciens praestitutum; id quod locus ille, quem modo laudavi, aperte demonstrat. Similem autem fati notionem in his praeterea invenimus locis Il. ε. 209. 674. ι. 318. φ. 291. χ. 60. Od. α. 166. ε. 312.

[1]) Ulrici: Geschichte der Hellenischen Dichtkunst vol. I. p. 187. Hase l. c. p. 83.

λ. 618. ξ. 359. ο. 239. 276. π. 392. φ. 162. τ. 259. ω. 34; neque plus valent hi loci ad fati naturam cognoscendam: Il. η. 52. ο. 117. ρ. 421. ω. 224. Il. enim ο. 117 quamquam loquitur Mars non tamen verba eius discrepant ab hominum illorum verbis, qui loquuntur Il. ρ. 421 et ω. 224; prorsus hominum modo loquitur. Il. autem ο. 209 aequabilitatis notio tantopere praevalet, ut *αἶσα* non fatum, sed partem denotare videatur. Saepe etiam fatum illud his vocibus significatur, quod morientes implent homines, sic tamen, ut a quo mors immissa sit aut immitti cogitata sit, fatone an a diis, dignosci nequeat: Il. γ. 101. π. 441. χ. 179. σ. 465. ω. 428. 750. Od. ι. 61. λ. 409. π. 421. υ. 241. φ. 24. Missis igitur his locis, e quibus de fati natura certius quid colligi vix potest, ad alios veniamus, qui ad vim fati cognoscendam plus valent, locos. Ac saepe quidem haec verba sic invenimus usurpata, ut de deorum sive omnium, sive unius Iovis decreto cogitari necesse sit. Quibus omnibus locis fatum quum e deorum pendeat consiliis statutumque a se dii exsequantur ipsi, non potest non subditum esse deorum utique voluntati. Iam singulos recenseamus locos. Ulixes, quum apud inferos placaturus alloquatur Aiacis animam, qui ob abiudicata sibi Achillis arma Ulixique addicta iratus mortem sibi consciverat ipse, haec, inquit, arma quum funesta esse voluissent dii Argivis, perosus Danaos fatum tibi imposuit solusque culpam sustinet Iupiter. Ex odio igitur Iovis deducitur fatum illud, quod, quum irruisset in Aiacem, universum etiam Argivorum exercitum maximo privaverit propugnaculo. Quod ipsum Iovis odium fato constitutum fuisse quis est qui credat? De omnibus omnino locis, — ac complures inveniemus ita comparatos —, ubi

fatum aliquod cohaeret et coniunctum est cum amore aut cum odio vel Iovis vel deorum omnium hoc mihi videtur tenendum esse: tale fatum, quum deorum nec amor nec odium fato temperatum, nedum praescriptum esse cogitari possit, omni ex parte aptum esse e deorum voluntate; idem de locis illis tenendum esse, ubi fatum derivatur a deorum *βουλῇ*, *νοήματι* etc. haud opus est dicere. Qui enim Iupiter commentus esse dici potest, quod fato praestitutum est, vetustiore fortasse quam ipse Iupiter? Quod a diis excogitatum esse dicitur, quomodo id a fato olim obtinente, sine ulla deorum auctoritate concepto pendere potest? Quapropter ne saepius huc redeundum sit, iam locos illos adiungam, de quibus, quae modo dixi, valere volo: Od. λ. 292 coll. 297. γ. 269 coll. λ. 436. Il. υ. 302. coll. 306. Il. ι. 608. coll. α. 5. Il. σ. 118. Omnibus locis ubi de deorum vel Iovis *μοίρᾳ* vel *αἴσῃ* legimus lucem afferre mihi videtur locus ex Hymn. ad Ven. v. 167:

ὁ δ᾽ (᾽Αγχίσης) ἔπειτα θεῶν ἰότητι καὶ αἴσῃ
ἀθανάτῃ παρέλεκτο θεᾷ βροτός, οὐ σάφα εἰδώς.

Quo loco de fato praestituto poetam cogitasse nemini in mentem veniet: imo, aegre ferentibus diis deabusque, quod Venus omnes fere ad hominum pellexerit amorem, Iupiter ipse, suo tantum usus consilio, Veneri hominis mortalis desiderium iniecit (v. 45). *Δαίμονος*[1]) igitur

αἶσα (Od. λ. 61) est fatum divinitus immissum. Legimus de procis (Od. χ. 413): *τούςδε δὲ μοῖρ᾽ ἐδάμασσε θεῶν καὶ σχέτλια ἔργα*, quod procorum fatum divinitus constitutum fuisse, multi illi loci, quos infra colligemus, demonstrabunt. Ulixis remigium ut, postquam multos labores perpessum esset, mortem occumberet, a diis decretum erat, quare, Od. ι. 52, *Διὸς αἶσα* fatum a Iove immissum. De Il. ρ. 321, ubi de iis, quae contra fatum aut

---

[1]) *Δαίμων* quum non plane discrepet apud Homerum a diis, complures invenimus locos, ubi *δαίμονες* ipsos significant deos Olympios neque ab his distingui possunt: Il. α. 222. γ. 420. ζ. 115. τ. 188. Od. ο. 261; neque quibus praeterea locis *δαίμων* occurrit, tale quid de hoc numine praedicatur, quod in deos cadere omnino non possit: Il. η. 291. 377. 396. ι. 600. λ. 480. 792. ο. 403. 468. ρ. 98. 104 (respondet *ὑπὲρ θεόν* illud Il. ρ. 327) φ. 93. Od. β. 134. γ. 27. 166. δ. 275. ε. 396. 421. ζ. 172. η. 248. ι. 381. κ. 64. λ. 587. μ. 169. 295. ξ. 386. 488. π. 64. 194. 370. ρ. 243. 446. σ. 146. 256. τ. 10. (cf. π. 291). 138. 201. 512. υ. 87. φ. 201. ω. 149. 306. Differunt autem voces *δαίμων* et *θεός* eo, quod *θεός* magis dicitur a poeta de certis diis, *δαίμων* autem de numine obscuro et latente, et, quamquam per se vox est indifferens, quum, si de bono ususpetur eventu, boni addenda sit notio, ut *ὀλβιόδαιμον* illud (Il. γ. 182), sin autem de malo mali notio (Od. ε. 396. κ. 64), quumque benevolumne numen sit an malum intelligi nequeat, nisi ad totius sermonis perpetuitatem intenderis animum, in maiore tamen locorum parte hic valuit usus, ut grave et molestum denotet numen: id quod inde etiam colligere licet, quod *πάρος τοι δαίμονα δώσω* (Il. θ. 166) est: priusquam haec fiant interficiam te; nemo hic dixerit: *πάρος τοι θεὸν δώσω.* Idem observare licet de verbis illis *δαίμονι ἶσος*, quibus bellatores acriter instantes hostibus designantur; non hic dici poterat *θεῷ ἶσος*, quamquam Idomeneum legimus inter Cretenses adstitisse *θεὸν ὥς* (Il. γ. 230); contra dici videtur non posse, *δαίμων ὥς τίετο*, nec de pulchra muliere *εἰκυῖα δαίμοσιν* (Il. λ. 638). Accedit quod *στυγερὸς δαίμων* (Od. ε. 396) diis opponitur ipsis. Itaque tenendum videtur esse, *δαίμονα* non fere diversam quidem a diis, nedum superiorem iis esse potentiam, sed usurpari a poeta, si deum certum nominare aut nequeat aut nolit; respondere prorsus videtur Romanorum numini; cf. Schmalfeld l. c. p. 8. Maetzner l. c. p. 16 sqq. Nitzsch l. c. I, p. 89. II, p. 64. Naegelsbach l. c. p. 67 sqq.

facta esse aut fieri potuisse dicuntur, agemus, infra videbimus [1]). Menelai post confectum bellum Troianum reditus quum a diis ob neglecta sacrificia tardaretur neque ei permissum esset pervenire in patriam, priusquam ad Aegypti fluvii ripas reversus deorum iram placasset: num haec fato potius videntur tribuenda esse, quam deorum consiliis, quamquam *μοῖραν* legimus Od. *δ*. 475? Non fato, sed per deorum iram inhibetur reditus; *μοῖρα* illa deorum est decretum. Memoratu praeterea dignissimum est, quod in iis rebus, quae gravissimae sunt omnium earum, quibus Odysseae et Iliadis continetur actio, *αἶσαν* et *μοῖραν* non possumus intelligere, nisi de deorum vel omnium vel solius Iovis decretis [2]). Iam videamus in Odyssea. Fatum appellatur, quod Ulixes, postquam multas perpessus molestias et calamitates inde a Phaeacum insula incolumis ipse, omnibus morte absumptis sociis, aliena vectus nave, in patriam rediit, poenas sumit de procorum insolentia et improbitate (Od. *ε*. 41. 113. 206. 288. 345. *ι*. 52. 532. *ν*. 306. *χ*. 413. *ψ*. 315). Neptunus enim quum succenseret Ulixi ob effossum Polyphemi oculum, diras illas ad unam omnes, quas imprecatus erat filius (Od. *ι*. 530 sqq.) exsecutus est, praeterquam quod Ulixem ipso reditu non privavit. Quod quominus tot calamitatum adderet cumulo non impeditus fuisse fato cogitandus est; ipse enim (Od. *ν*. 132) Iovi:

---

[1]) Ceterum horum locorum nullo vocibus *Διὸς αἶσα, θεῶν μοῖρα* numina illa mortifera significari arbitror, sed appellativa esse verba.

[2]) Preller in Pauly Realencyclopädie s. v. Fatum. Haentjes l. c. p. 9. Eckenbrecher de Iove Homeri p. 24 sqq.

νόστον δέ οἱ, inquit, *οὔποτ' ἀπηύρων*
πάγχυ, ἐπεὶ σὺ πρῶτον ὑπέσχεο καὶ κατένευσας.

Qui hoc modo de fato silet, nonne is aperte confitetur, nequaquam fato se, sed solius Iovis morem gessisse decretis? Huc addendum est, quod aperte fatum hoc Ulixis (Od. *ε*. 23. *ω*. 479) ad Minervae revocatur consilium, quum Iupiter ipse dicat:

οὐ γάρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἤτοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;

Calamitates omnino Ulixis a diis, non a fato immissae esse dicuntur (Od. *ζ*. 173. *η*. 214. 242. *ι*. 15. 37. *λ*. 139. *μ*. 295. *ξ*. 197. *ψ*. 210. *ε*. 290. cf. 341. *ζ*. 330. *ι*. 52. 552. *λ*. 101.); iter ipsi dirigunt dii (Od. *ε*. 221. 408. *ζ*. 172. *η*. 248. 254. *ι*. 142. 339. *κ*. 141. *λ*. 332. *μ*. 333. 419. 448.); dii funesto illo somno immisso (*μ*. 338. 371), fractaque nave (*ε*. 131. *η*. 250. *μ*. 387. 415), socios ad unum omnes perdunt (Od. *α*. 9. *ι*. 553. *μ*. 313. 349. 378. 419. *τ*. 275). Ad deos solos refertur, utrum redeundum sit Ulixi an pereundum (Od. *α*. 17. 195. 234. *γ*. 88. 241. *δ*. 181. 805 sqq. *ε*. 168. *ζ*. 14. *η*. 331. *θ*. 410. 465. *ι*. 37. 262. *ν*. 41. 127 sqq. *ξ*. 39. 61. 368. *ο*. 180. *π*. 233. *τ*. 275. 369. *υ*. 98. *φ*. 200. *ψ*. 258. *ω*. 149. 401); poenae etiam, quas redux factus in patriam a procis repetit Ulixes diis tribuuntur (Od. *α*. 267. 379. *β*. 66. 144. *γ*. 205. *ε*. 23. *ο*. 180. 523. *π*. 129. 260. 320. *ρ*. 51. 60. 354. 475. 597. *τ*. 488. 496. *υ*. 42. 112. 169. 236. *φ*. 213. *χ*. 236. 297. 413. *ψ*. 63. *ω*. 164. 351. 443. 479), qui iidem dirempta pugna pacem conciliant (Od. *ω*. 474. 485. 539 sqq.). Sic in Iliade quoque omnium, quae aguntur, res gravissimae non ad fatum, sed ad deorum referuntur auctoritatem. Helenae culpa, ob quam grave

facta esse aut fieri potuisse dicuntur, agemus, infra videbimus [1]). Menelai post confectum bellum Troianum reditus quum a diis ob neglecta sacrificia tardaretur neque ei permissum esset pervenire in patriam, priusquam ad Aegypti fluvii ripas reversus deorum iram placasset: num haec fato potius videntur tribuenda esse, quam deorum consiliis, quamquam *μοῖραν* legimus Od. δ. 475? Non fato, sed per deorum iram inhibetur reditus; *μοῖρα* illa deorum est decretum. Memoratu praeterea dignissimum est, quod in iis rebus, quae gravissimae sunt omnium earum, quibus Odysseae et Iliadis continetur actio, *αἶσαν* et *μοῖραν* non possumus intelligere, nisi de deorum vel omnium vel solius Iovis decretis [2]). Iam videamus in Odyssea. Fatum appellatur, quod Ulixes, postquam multas perpessus molestias et calamitates inde a Phaeacum insula incolumis ipse, omnibus morte absumptis sociis, aliena vectus nave, in patriam rediit, poenas sumit de procorum insolentia et improbitate (Od. ε. 41. 113. 206. 288. 345. ι. 52. 532. ν. 306. χ. 413. ψ. 315). Neptunus enim quum succenseret Ulixi ob effossum Polyphemi oculum, diras illas ad unam omnes, quas imprecatus erat filius (Od. ι. 530 sqq.) exsecutus est, praeterquam quod Ulixem ipso reditu non privavit. Quod quominus tot calamitatum adderet cumulo non impeditus fuisse fato cogitandus est; ipse enim (Od. ν. 132) Iovi:

---

[1]) Ceterum horum locorum nullo vocibus *Διὸς αἶσα, θεῶν μοῖρα* numina illa mortifera significari arbitror, sed appellativa esse verba.

[2]) Preller in Pauly Realencyclopädie s. v. Fatum. Haentjes l. c. p. 9. Eckenbrecher de Iove Homeri p. 24 sqq.

νόστον δέ οἱ, inquit, *οὔποτ' ἀπηύρων*
πάγχυ, ἐπεὶ σὺ πρῶτον ὑπέσχεο καὶ κατένευσας.

Qui hoc modo de fato silet, nonne is aperte confitetur, nequaquam fato se, sed solius Iovis morem gessisse decretis? Huc addendum est, quod aperte fatum hoc Ulixis (Od. ε. 23. ω. 479) ad Minervae revocatur consilium, quum Iupiter ipse dicat:

οὐ γὰρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἤτοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;

Calamitates omnino Ulixis a diis, non a fato immissae esse dicuntur (Od. ζ. 173. η. 214. 242. ι. 15. 37. λ. 139. μ. 295. ξ. 197. ψ. 210. ε. 290. cf. 341. ζ. 330. ι. 52. 552. λ. 101.); iter ipsi dirigunt dii (Od. ε. 221. 408. ζ. 172. η. 248. 254. ι. 142. 339. κ. 141. λ. 332. μ. 333. 419. 448.); dii funesto illo somno immisso (μ. 338. 371), fractaque nave (ε. 131. η. 250. μ. 387. 415), socios ad unum omnes perdunt (Od. α. 9. ι. 553. μ. 313. 349. 378. 419. τ. 275). Ad deos solos refertur, utrum redeundum sit Ulixi an pereundum (Od. α. 17. 195. 234. γ. 88. 241. δ. 181. 805 sqq. ε. 168. ζ. 14. η. 331. θ. 410. 465. ι. 37. 262. ν. 41. 127 sqq. ξ. 39. 61. 368. ο. 180. π. 233. τ. 275. 369. υ. 98. φ. 200. ψ. 258. ω. 149. 401); poenae etiam, quas redux factus in patriam a procis repetit Ulixes diis tribuuntur (Od. α. 267. 379. β. 66. 144. γ. 205. ε. 23. ο. 180. 523. π. 129. 260. 320. ρ. 51. 60. 354. 475. 597. τ. 488. 496. υ. 42. 112. 169. 236. φ. 213. χ. 236. 297. 413. ψ. 63. ω. 164. 351. 443. 479), qui iidem dirempta pugna pacem conciliant (Od. ω. 474. 485. 539 sqq.). Sic in Iliade quoque omnium, quae aguntur, res gravissimae non ad fatum, sed ad deorum referuntur auctoritatem. Helenae culpa, ob quam grave

illud funestumque Trojanis exarsit bellum, non fato ab ipsa tribuitur, sed diis (Il. ζ. 349. 358. Od. δ. 261), nec omnino, qui de Helena loquuntur, quum ipsam, quae est Homericorum jam Graecorum humanitas illa et festivitas, incusare culpae nolint, non in fatum crimina conferunt, sed in deos (Il. γ. 164. Od. λ. 436. ψ. 222). Ut Helenae culpa, sic bellum etiam omnino Trojanum, quum proficiscentes iam Argivos faustis dii prosecuti sint ominibus (Il. β. 309. 350), non a fato, sed a deorum derivatur consiliis (Il. γ. 165. ε. 63. ω. 547. Od. ϑ. 81. 579. μ. 189. ξ. 235. ϱ. 118); neque Trojae ipsius excidium, quamquam Od. ϑ. 511 legimus:

αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
δουράτεον μέγαν ἵππον [1]),

e fati, sed e deorum decretis pendet. Il. enim δ. 14 sqq. Iupiter, quamquam non serio loquitur, deliberandum proponit diis, utrum finis iam bello sit imponendus et servanda Troia, an renovanda pugna. Iuno, utpote assidua Troianorum inimica, respondens Iovi, non fati profert decreta et potentiam, imo (v. 29) concedit Iovi potentiam esse servandae Troiae, neque aliud quicquam, ut Iovem flectat a proposito, depromit, quam quod plurimus ille sudor laborque, quem in cogendo Argivorum exercitu consumpserit, irritus fiat; nec reliquis diis omnibus probatum iri Iovis consilium. Dehinc Iupiter (v. 43 coll. 32), soli irae se, ait, Iunonis concessisse exidium Troiae. Urbium

[1]) Habemus hic sane fatum, nec id ita comparatum, ut conjectura forsitan assequi possimus, utrum derivandum sit a decretis deorum, olim factis, an aliunde pendeat, neque omnino poeta ipse sibi, unde originem traxerit fatum, rationem dedisse censendus est. De huius *αἴσης* natura infra videbimus.

omnino ruina et opulentia, quantum ex hoc gravissimo, quamquam ab haud seriis profecto exordiis, apparet colloquio, ab odio tantum aut amore deorum pendet (v. 40. 51 sqq. Il. ϑ. 550); fati omnino nulla fit mentio: est merum hoc et planissimum deorum arbitrium nullis circumscriptum legibus. Salutem igitur Troiae aut interitum e deorum pendere arbitrio creditum fuisse locis invenimus permultis (Il. α. 18. 129. β. 112. 350. 367. 412. δ. 43. 160 sqq. ε. 715. ζ. 311. 526. η. 31. ϑ. 550. 287. 525. ι. 18. 135. 418. 685. ν. 625. ο. 70. ϱ. 327. Od. γ. 119); quapropter illud etiam *αἴσιμον* Il. ι. 245, praesertim si ad ea respexeris, quae antecedunt, non possumus intelligere nisi de fato ab ipsis diis constituto. Expugnata Troia reditum etiam Argivorum dii ordinant; non enim fato ille, sed quia in deos peccaverant, miser erat (Od. γ. 131 sqq. 152. 160. 166. 288. δ. 172. ε. 108. ν. 317. ξ. 242. Il. α. 18). — Iliadis autem argumentum, quum non tam in oppugnatione Troiae versetur, quam in honore Achillis, iam de huius fato videamus. Achilli, quum expugnatio Troiae non esset data, praematura morte erat obeundum (Il. α. 416 sqq. ι. 410 sqq. π. 707 sqq. σ. 328 sqq. 465. τ. 416. 421. ψ. 80). Quod eius fatum e Iove pendere, saltem non invito eo constitutam fuisse iam probabimus. Plura quidem contra disputavit Delbrueckius[1]): Is, inquit, qui tot in Achillem beneficia congessit, qui iniuriae, qua ab Agamemnone affectus esset, ulciscendae causa tot bella movit, cur hac una in re sui erga Achillem amoris obliviscitur, cur Thetis eum ne implorare quidem audet, ut sortem illam mutet, quum praesertim sciat, deos precibus

[1]) l. c. p. 51.

flecti posse (ι. 499). Numquam hoc facit, neque tam luget praematuram filii mortem, quam mala quae in brevissima vita ei subeunda sint. Iupiter, si esset sortis auctor totam fabulam poeta aliter ornasset. — Quae argutius et ad praeoccupandos legentium animos aptius mihi videntur disputata esse, quam verius. Vidimus enim iam supra, quotquot mala accidant, quotquot eveniant bona homini, ea non distribui, nisi de Iovis sententia (cf. praecipue Od. ζ. 188). Quum autem iam apud Homerum vestigia quaedam exstent Herodoteae illius sententiae, invidum esse numen deorum[1]); Bellerophon enim nimia usus felicitate odio postremo vexatur deorum[2]):

qui miser in campis maerens errabat Aleis,
ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans,

et quum vitae humanae natura ipsa ita sit comparata, ut miseriis prorsus libera esse nequeat (Il. ϱ. 446. Od. σ. 130—137), — egregie scilicet iam de eo statuisse dicitur deus, cuius miseriarum cumulo secundam admiscuerit fortunam (Od. ο. 488. Il. ω. 529. sqq.) — vita talis, cui

[1]) I, 32: τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν· VII, 10, 5: φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. Sic apud Aeschylum quoque legimus, nimiam felicitatem parentum liberis etiam perniciosam esse, Agam. v. 755 (Schütz ed. 1809):

παλαίφατος δ'ἐν τοῖς βροτοῖς γέρων λόγος
τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον
τεκνοῦσθαι, μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν,
ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει
βλαστάνειν ἀκόρεστον ὀϊζύν.

[2]) Il. ζ. 201, cf. Cic. Tusc. III, 26. Complures alios ex carminibus Homericis locos affert Naegelsbachius l. c. p. 33, qui ostendunt deorum invidiam et in homines et in deos ipsos: Il. η. 446 sqq. Od. θ. 565 sqq. Il. ϱ. 71. 450. Od. ε. 119.

miseriae quamvis multae sunt admixtae, vitae nimis beatae videtur praeferenda esse: iam enim apud Homerum valere quodammodo sententiam illam: ὃν γὰρ ἀγαπᾷ ὁ κύριος παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν, ὃν παραδέχεται[1]), qui spectaverit Agamemnonis, Menelai, Ulixis, Hectoris, aliorum multorum fortunam, negare haudquaquam poterit. Tantum igitur abest, ut maerores illi, quibus exagitatur Achilles, quia non arcentur a diis a fato immissi esse videantur, ut nullo maiore a diis beneficio ornari potuisse videatur: nempe honor Achillis, quo nullum heroicis temporibus maius bonum et exoptatius mente concipi poterat, non imminuitur miseriis illis, imo augetur maximopere. Quapropter nulla mihi videtur causa esse, cur non Achillis etiam fortunam a diis fuisse temperatam credamus, cur non ad deos solos revocari possint auctores miseriae illae. Honorem autem illum, qui tam large et effuse in unum omnium maxime congeritur Achillem solius Iovis tribui consiliis, ut singulis demonstrem locis, haud videtur opus esse[2]); sunt enim permulti. Quae sunt igitur miseriae Achillis? ad quem revocandae sunt auctorem? Est iniuria

[1]) Epist. ad Hebr. XII, 6. De hac hominis cum fortuna luctatione Seneca (de provid. c. 2): ecce, inquit, par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit — (c. 4). Semper vero esse felicem et sine morsu animi transire vitam ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus est vir: sed unde scio, si fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis. — Miserum te iudico, quod numquam fuisti miser.

[2]) Διὸς igitur αἶσα Il. ι. 608 (coll. α. 5) est fatum a Iove constitutum: spero honoratum me iri Iovis fato, spero ita administratum iri a Iove res meas, ut gloriam consequar et honorem.

illa ab Agamemnone illata, est amicissimi Patrocli caedes, est ipsius denique praematura mors: quae omnia ad extollendum Pelidae honorem a diis immissa esse videbimus. Etenim quum numquam in unum Achillem tot virtutis bellicae laudes accumulatae essent, si semper interfuisset bello, peropportune a diis excitata est rixa inter Achillem et Agamemnonem: quippe desiderio illo Argivorum maxime exaggeratur gloria Achillis. Rixa autem ipsa aperte derivatur a deorum consiliis (Il. α. 5. 8. β. 375. τ. 137. 86 [1]). 270 sqq.), nusquam a fato; verius autem Agamemno culpam illam suae etiam ipsius libidini adsignat et vitio (Il. β. 378. ι. 116). Gravissimo deinde dolore afficitur Achilles Patrocli caede. Mortem autem Patrocli ipsius Iovis mente constitutam fuisse plures aperte demonstrant loci; nusquam illa ad fatum refertur. Quae enim saepius occurrit *Μοῖρα* non fatum est, sed numen illud mortiferum, quod diis inferius esse demonstravisse mihi videor (Il. π. 849. τ. 409); et *αἴσιμον* illud *ἦμαρ* (Il. φ. 100) ita usurpatur, ut ipsam significet mortem neque de morte utique fato constituta cogitandum sit. Imo Iovis consilio videtur tribuenda esse Patrocli caedes et ipsius temeritati et imprudentiae; legimus enim Il. π. 686 sqq., effugere eum potuisse mortem, si obtemperasset Pelidae monitis: sed gloriae inductus aviditate et a Iove ipso stimulatus, ipse sibi mortis auctor factus est; vide praeterea π. 250.

[1]) Quod hic excusans se ipsum culpam Agamemno in *Μοῖραν* etiam confert, non fatum incusat, sed numen illud mortiferum, quod, quum multorum hominum caede delectetur, funestam hanc Argivis rixam conflaverit. Agamemno quum omnino nihil spectet, nisi ut a se ipso certe amoveat culpam, numinum cumulat nomina, per quae ad libidinem inductus sit.

647. 693. 843. 849. σ. 9. τ. 9. 409. Gravissimi autem duo sunt loci [1]), qui iidem Achillis quoque praematuram mortem a diis constitutam fuisse comprobabunt. Il. enim σ. 324 sqq. quum queratur Achilles, quod promissis Menoetio factis, expugnata Troia filium a se incolumem reductum iri, stare non possit, non in fatum, sed in unum Iovem culpam confert: verumenim vero, inquit, animo haec aequo ferenda sunt, quum Iupiter, quae hominibus placeant, non semper conficiat; ambos enim in eadem terra mortem occumbere constitutum est. Manifesto hic fatum illud et Patrocli et Achillis ad Iovis refertur auctoritatem. Plus etiam ad hoc ipsum demonstrandum alter valet locus Il. ϱ. 406 sqq.:

ἐπεὶ οὐδὲ τὸ ἔλπετο πάμπαν
ἐκπέρσειν πτολίεθρον ἄνευ ἕθεν οὐδὲ σὺν αὐτῷ·
πολλάκι γὰρ τόγε μητρὸς ἐπεύθετο νόσφιν ἀκούων,
ἥ οἱ ἀπαγγέλλεσκε Διὸς μεγάλοιο νόημα.

Quin autem hoc Iovis consilio mors Patrocli etiam contineatur, nemo erit, qui dubitet, quum addatur:

δὴ τότε γ'οὔ οἱ ἔειπε κακὸν τόσον, ὅσσον ἐτύχθη,
μήτηρ, ὅττι ῥά οἱ πολὺ φίλτατος ὤλεθ' ἑταῖρας.

Quod autem a Iove dicitur excogitatum fuisse, id, ut supra contendimus, e fato pendere non potest, quod Iovis auctoritate careat. Attamen quod praematurae, qua Achilli obeundum erat, mortis crimina toties in fatum, quoties in Iovem deosque conferuntur (Il. α. 416 sqq. π. 707 sqq. σ. 120. ψ. 80), ita rem se habere opinor. De Achillis

[1]) Illud enim, quod Il. ο. 64—77 legimus, quum consentientes tres illi grammatici Aristarchus, Aristophanes, Zenodotus, alii plerique posteriori adscripserint aetati, non attulerim ad firmandam sententiam meam.

fato, ut primum natus est, quum deliberassent dii singularique Iovis beneficio duae Achilli κῆρες evenissent (Il. ι. 410 sqq.), penes ipsum erat fati sui arbitrium. Quid autem Thetis fatum deprecaretur Achillis, quum ipsi optio data esset, vitae longinquitatem bellicae virtutis laudi praeferre? Neque mater illa δυςαριστοτόκεια ipsa tam fatum incusat quam deorum hominumque regem, qui ipsam prae ceteris diis deabusque miseriis oppresserit permultis (Il. σ. 429 sqq.). Achilles ipse a Iove diisque exspectat mortem, non per fatum aut casum obscurum properatam (Il. σ. 115. χ. 365). Quapropter fatatem etiam Achillis mortem deorem decretis constitutam esse opinor; quae decreta, quum olim facta sint, facile videntur non pendere e deorum voluntate; poeta, quid senserit, aperte elocutus est. Situm sane fatum hoc proprie est in deorum consiliis, apparet autem in sermonibus tale, ut a deorum mente alienum esse videatur: qua de causa hic mihi eo redeundum est, quod in disputationis exordio fatum comparavi cum aeterna illa lege, qua quum omnium hominum, tum regum in administrando imperio animi reguntur: habemus hic sane fatum, quod ut ratum fiat deorum opus est consiliis, deorum autem consilia, quum bene ab iis administrari putentur quaecunque fiunt res, tantopere congruunt cum fato, ut esse omnino fatum raro cogitent homines; itaque fatum deorumque decreta permultis locis vix dignosci possunt. Sic hic. Legis instar videmus valere, Achilli, quum ipsi capere Troiam a fortuna permissum non sit, praematura morte decedendum esse e vita: fatone id constitutum fuerit an deorum auctoritate vix discerni potest. Qua ipsa morte praematura quid magis idoneum cogitare possumus ad augendam ipsius gloriam? non enim in otiosa

aetatis longinquitate vita gloriosa et optabilis est posita, sed eam tantum vitam, quae, quamvis brevis, rebus tamen praeclare gestis insignis est, honor et gloria tamquam comites sequuntur: deus est mortali, iuvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via [1]).

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus [2]):

utram vitam praeferendam esse iudicaverint aetatis illius homines nemini dubium erit [3]); alteram autem illam κῆρα in Achillem cadere non potuisse, quale erat ingenium eius, luce est clarius; quamquam semel certe fluctuans animo inter utramque inducitur Il. ι. 400 sqq. Quod autem expugnatio Troiae negata erat Achilli: nonne patris virtus in filii, qui capit Troiam, reviviscit fortitudine? Sic hoc certe nobis videmur assecuti esse, ne praematuram quidem Achillis mortem a fato, deorum decretis repugnante, constitutam fuisse. — Achillis fato simillimum est Hectoris fatum. Ut Achilles, sic Hector quoque, quamquam et fortissimus est, quippe qui de se ipse dicere potuerit sine vanae gloriolae specie:

si Pergama dextra
defendi possent, etiam hac defensa fuissent [4]),

quamquam et honestissimus est et unus omnium maxime pius,

[1]) Plinius Hist. Nat. II. 5. 7.

[2]) Hor. Carm. II. 16. 29. Quamquam illud tenendum est, Tithonum, qualem effinxerit Homerus, non esse senem decrepitum; cf. Nitzsch ad Od. γ. 236, qui laudat hymn. ad Ven. 219 sqq., ubi alia iam legimus.

[3]) Od. ϑ. 147:

οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ᾖσιν,
ἢ ὅ,τι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

[4]) Verg. Aen. II. 291.

praematura tamen et ipse morte absumitur. Paullo ante ipsum tempus, quo Hectori moriendum est, Iovem videmus Hectoris et Achillis κῆρας trutina examinantem (Il. χ. 209). Quae trutina quid sibi vult? Neque utri moriendum sit incertus pendet Iupiter neque illud addubitat, utrum tunc iam an alio tempore Hectori mors obeunda sit; de utraque re certissime iam constitutum est. Non igitur animo hic ponderasse iudicandus est Iupiter, quid sit agendum, neque quae de hac libra legimus, quamquam complures haec sententia nacta est defensores [1]), effigies esse possunt eorum, quae intus fiunt in animo Iovis, deliberantis scilicet et omnium virium contentione cogitantis; dubitantem quidem saepe et in cogitatione defixum videmus Iovem (Il. α. 511. β. 3; et hoc ipso loco paullo antequam decretum fatum est v. 174 deos hortatur: ἀλλ' ἄγετε φράζεσθε θεοὶ καὶ μητιάασθε), sed talem dubitationem Iovis et deliberationem hac imagine a poeta expressam esse, quum non convenire videatur cum Homeri simplicitate, recte confutavit Naegelsbachius et [2]): Niemand, inquit, der den Dichter etwas mehr als von aufsen kennt, wird zu läugnen im Stande sein, dafs der wesentliche Gehalt jener Vorstellung von den Waagschaalen gerade der ist, dafs der Göttervater im entscheidenden Augenblick, wo der Moment des Entschlusses drängt, so zu sagen sich selbst nicht klug genug ist und deswegen einen ausser ihm vorhandenen Willen zur Richtschnur seines Handelns nimmt. Sed quomodo hoc cum libero de omnibus rebus arbitrio,

[1]) Schmalfeld l. c. p. 6. Maetzner l. c. p. 78. Eckenbrecher l. c. p. 4. Haentjes l. c. p. 8.

[2]) L. c. p. 121.

quod penes Iovem esse diximus, convenire statuamus [1])? Haec mihi trutina prorsus respondere videtur oraculis, quibus utuntur homines [2]). Oracula autem iam tum magna floruisse auctoritate ipse testis est Homerus multis locis: Od. ϑ. 81. Il. ι. 404. π. 233. Od. ξ. 327; fortasse etiam Od. π. 402 huc referendum est [3]). Quum enim homines omnino, tum reges praecipue, si adeunt oracula, quid gerendum sit iam decreverunt, neque quicquam oracula consulentes spectant aliud, nisi ut comperiant, rectene et bene id fiat, quod facturi sunt, nec ne; quapropter etiamsi non assentiatur oraculi responsum ipsorum consiliis, tamen quod propositum est perficiendi non imminuitur potentia. Eadem haec de Iovis dici possunt statera. Explorat sane Iupiter, postquam quid agendum sit decrevit, potentiae cuiusdam a se ipso diversae consilia; ita tamen, ut ipsi, etiamsi secus statuerit trutina illa, liberrima sit quicquid placeat agendi potentia. Iovis autem consilia ne hic quidem aliunde pendere, quam ab ipsius voluntate, Minerva fatetur ipsa (v. 181), quod autem Hectorem πάλαι πε-

[1]) Neque enim eam probaverim sententiam, qua nihil hac libra illustrare voluisse poetam putant, quam instare iam momentum, quo res in discrimen adducatur; cf. Lange, Einleitung in das Studium der griechischen Mythologie p. 116. Bumke de fato Homerico (Progr. Braunsberg 1828) p. 6, qui comparat locutiones ῥοπὴν ἔχειν πρός τι et momentum alicuius rei facere, et affert Verg. Aen. XII. 725.

[2]) Similiter Delbrueck l. c. p. 54: Inducit igitur Iovem facientem, quae homines solent, qui, quum de re graviori consilium ceperint, sicut Iupiter de Hectoris nece, tamen re in discrimen adducta denuo quid sibi faciendum sit, dubitantes, sortem consulant.

[3]) De antiquissimo oraculo Dodonaeo vide Herod. II. 52 sqq.

πρωμένον αἴσῃ (v. 179) esse dicit, non urgentis fati denotat necessitatem, sed nihil aliud monet, quam Hectorem, quum homo sit, iamdudum morti esse destinatum. Idem cadit in alterum illum locum, ubi huius staterae mentio fit Il. ϑ. 69 sqq. Quamquam certissima Iovis stat sententia, tamen, ut magis etiam confirmet hanc sententiam, libram illam consulit. Praeterea de Iovis libra legimus (Il. π. 658 et τ. 223[1]). — Iam videamus de fato Sarpedonis. Quum bis antea (Il. ε. 662. μ. 402) Sarpedonem Iupiter defendisset a morte, iam dubitat (Il. π. 433 sqq.), utrum tertium etiam eripiat a morte, an Patroclo trucidandum committat. Iupiter igitur fati conquestus[2]) iniqui-

[1]) Trutina hoc loco a Iove inclinari dicitur, id quod ipsum in oracula etiam cadere dici potest: quippe oraculorum plerumque tanta erat obscuritas, tanta ambiguitas, ut ad consulentium arbitrium interpretando explanari et flecti possent; cuius oraculorum naturae permulta exstant exempla. Attamen talia iam Homerum cogitasse, quum neque ipsa oraculorum responsa legamus et talia pro horum temporum simplicitate argutiora esse videantur, affirmare non ausim. Prodigiorum quidem et portentorum et auguriorum necessario ea erat natura, ut, quum a plurimis observarentur, diversissimam etiam persaepe admitterent interpretationem. Non omnes alites fatales esse putabantur (Od. β. 181), non omnia tonitrua et fulgura fatalia erant: arte egebat interpretatio (cf. Nitzsch ad Od. ι. 507, de vocibus ϑέσφατον, μάντις etc. et Völker: Die Homerische Mantik oder Wesen und Ursprung der griech. Mantik überhaupt in Allgemeine Schulzeitung 1831. Abth. II. p. 1155 sqq.). Uno certe loco haec portentorum ambiguitas apparet manifestissima; Il. enim ο. 377 quum Nestori tonitru illud faustum sit omen, idem Troiani quoque ο. 379 ipsis prosperum esse arbitrantur (cf. Naegelsbach l. c. p. 156 et Voelcker l. c. p. 1152 fin.).

[2]) Quid enim voces illae: ὤ μοι ἐγών aliud continent, atque querelam (cf. Il. χ. 99. Od. ε. 356, alias)? Non quidem quod Sar-

tatem, μοῖραν hanc dubitat, utrum tollat omnino[1]), an exsequatur statim, neque Iuno fati necessitatem et potentiam opponit Iovi[2]), sed deorum iram; quae deorum ira quam nihil valeat contra summi Iovis potentiam, supra iam vidimus. Iupiter ἑκὼν ἀέκοντί γε ϑυμῷ, ipsius obsecutus rationi, fatum illud exsequitur. Quae autem huius μοίρας, quam expleri oportebat a Sarpedone, natura est? Fatum hoc quum dissentiat a Iovis, quae ipse mente conceperat, consiliis, nemo dubitabit, quum praesertim contra ipsius exspectationem usu venire videatur, quin ab ipsius diversum sit decretis; quamvis autem ad Iovis mentem dirigendam vim habeat non minimam, non tamen eum huius fati necessitate coactum fuisse, manifesto patet. Etenim si fatali necessitate obstrictus fuisset, non sibi temperasset Iuno, quominus hanc ei necessitatem opposuisset. Accedit quod, quum bis iam a Iove servatus fuerit, mirantur etiam Troiani, quod tunc non ereptus sit morti Sarpedon (Il. π. 522). Accidere hic videmus Iovi, quod regibus etiam saepius usu venit: quum suarum saepenumero rerum nimio ducantur studio, quum saepe, quae ipsis placeant, praeferant rebus illis, quae regni universitati conducant, ipsorum mens discrepat cum ἀγράφῳ illo νόμῳ, cui tamen, si bona utuntur ratione, suos ipsi vin-

pedonem filium a morte contra fatum eripere non possit queritur, sed quia omnino fatum illud est; cf. Manso l. c. p. 502, cuius ab hac differt sententia.

[1]) Recte de hoc loco Maetzner (l. c. p. 76): non, inquit, agitur de fato differendo, sed de tollenda μοίρᾳ: qui enim in Lycia a Patroclo potuit occidi? μοῖρα non ad nudam mortem pertinet, sed ad necem Patrocli manu inferendam.

[2]) V. v. 441 sqq. congruunt cum v. v. illis Il. χ. 179 sqq., de quibus supra dixi.

centes animos frangentesque ipsorum libidinem, postremo obediunt; sin mala autem, lege illa perversa, pertinaciter resistentes ipsorum sequuntur consilia. Sic Iupiter quum boni regis exhibeat imaginem, quamquam aliquantulum queritur — guttas illas sanguineas cui non lacrimarum instar esse in mentem venit? quamquam ros ille sanguineus (Il. λ. 53) nihil videtur esse, nisi acerrimae et vehementissimae pugnae signum — et utrum evertendum sit an peragendum fatum subdubitat, mox tamen ipse animi imperans cupiditatibus, fato concedit[1]).

Paucos igitur admodum videmus locos esse, quibus fatum a deorum decretis diversum aperte cognoscere possimus: plurimos, ubi tantopere congruat deorum consiliis, ut, quamquam fortasse diversum cogitatur ab iis, discerni tamen et disiungi vix queat. Ulixis ipsa fata appellantur *θέσφατα* (Od. κ. 472. λ. 151); sic illud etiam (Il. ε. 64): *ἐπεὶ οὔτι θεῶν ἐκ θέσφατα ᾔδη* comparare licet cum Hectoris verbis (Il. χ. 279):

ἤμβροτες, οὐδ' ἄρα πώ τι, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
ἐκ Διὸς ἠείδης τὸν ἐμὸν μόρον,

sic quod *θέσφατον* esse legimus Il. ϑ. 477, est *αἶσα* illa *Διὸς* Il. ι. 608, sic Phaeacum (Od. ϑ. 565. ν. 172), Cyclopis (Od. ι. 507), Menelai (Od. δ. 561) *θέσφατα* fatum etiam appellari potuisse contendo. Quodquum fati sit haec vis, ut vel cum ipsis deorum decretis tantopere congruat, ut vix queat discerni, vel legis illius aeternae instar sit, quae quominus migretur et violetur se ipsa defendere potest nullo modo, iam intelligimus, facillime

[1]) B. Constant l. c. p. 361: Les dieux sont à l'égard de la destinée comme les gouvernements relativement à l'opinion; ils peuvent la braver, mais la censure publique pèse sur eux.

fieri potuisse, ut aliquid contra fatum (*ὑπὲρ μοῖραν, ὑπὲρ αἶσαν, ὑπέρμορον*) accideret, si deus ipse non impediret. Quapropter operam perdiderunt ii, qui, quum contra fatum quicquam fieri posse negavissent, *ὑπέρμορον* illud sic explicaverunt, ut sit praeter fatum [1]); quasi quod praeter fati decreta fiat, id simul contra fatum esse non possit, et revera multis locis prorsus pugnare cum fato apparet [2]); accedit quod, si praeter fatum poeta dicere volebat, dicere debebat *παρὰ μοῖραν*, quod, quamquam alio sensu, legimus Od. ξ. 509; ipsa vocis *ὑπέρ* vis ea est, ut illud significet, quod certos migret fines, quod modum excedat. Quaecunque igitur contra fatum aut prope abfuit ut fierent, aut revera facta sunt, ea vel deorum vel fati decreta excedunt. Sic legimus, Argivos contra fatum domum revertisse, nisi Minerva eos Iunonis iussu retinuisset (Il. β. 155 sqq.); deorum autem statutum erat decretis, ut ab hoc ipso Agamemnonis exercitu everteretur Troia. Ut autem hic, si revertissent Argivi, Troia contra fatum oppugnatione liberata esset et expugnatione, sic Phoebus adhortans ad pugnam Aeneam: quomodo, inquit, invito etiam deo [3]) servaveritis Troiam? A diis et Patroclo et Achilli denegata erat expugnatio Troiae. Quum autem Achilles, interfecti amici ira exacerbatus, furore etiam et iracundia vires eius et fortitudinem augente, tam ferociter pugnaturus esse videatur, ut Troiani intra muros compulsi

[1]) Harless l. c. p. 418. Bumke l. c. p. 7.

[2]) Maetzner l. c. p. 80: Verum, inquit, haud scio an eodem redeat res, sive praeter fatum, sive contra fatum hominum virtutem atque nequitiam valuisse statuas.

[3]) Ὑπὲρ θεόν Il. ρ. 327. Similiter ρ. 98. 104 *πρὸς δαίμονα* invito numine.

impetum eius a se defendere posse vix putentur, Iupiter metuens ne contra fatum expugnet urbem (Il. υ. 29), quicunque sint dii, omnes et ipsos manus conserere iubet. At quum qui a Troianis stabant dii, devicti essent ab iis, qui Argivorum favebant rebus, Apollo ne hoc ipso certe die urbs caperetur contra fatum, ipse defensurus intravit Troiam (Il. φ. 515); et revera Argivorum intercipit victoriam, adhortatus Agenorem ad pugnam (Il. φ. 544). Antea iam idem deus, ne Patroclus Troia potiretur prohibuerat (Il. π. 698. σ. 454, quamquam his locis non diserte legimus ὑπέρμορον). Iupiter, quum Priami stirpem odisset, decreverat, ut Troianorum regnum ad Aeneam transiret; itaque quum contra fatum accidisset, si quis Aeneam interfecisset, dii mortem ab eo defendunt (Il. ε. 311. υ. 290—339, praecipue v. 336 [1]). Decretum erat a Iove, ut Argivi a Troianis bello superarentur: at contra fatum superiores evasissent, nisi Apollo Aeneam ad pugnam stimulasset (Il. ρ. 319 sqq.). Ulixi fato evenerat, ut incolumis in patriam rediret; sed contra fatum periisset in mari, nisi Minerva ipsius subvenisset consilio (Od. ε. 436). Hector aegritudines consolaturus Andromachae: nemo, inquit, (Il. ζ. 487 sqq.) contra fatum me interficiet — deus enim prohibebit —, mortem autem a diis fatoque constitutam nemo effugiet. Sed non omnia, quae, si facta essent, contra fatum facta essent, prohibita esse a diis legimus: imo revera nonnulla contra fatum accidisse invenimus. Stetit Iovis sententia, ut Achivi fugarentur a

[1]) Adnotavit hic recte Bumke l. c. p. 5: Videmus itaque deos religione quadam ductos fati iussa explere etiamsi ipsis exoptata non sunt.

Troianis, usque dum Achillis ira placata esset: ipsorum tamen virtute vincunt (Il. π. 780. cf. λ. 90). Troiae excidium a diis decretum erat, Apollo tamen, ut servandae Troiae periculum faciat, adhortatur Aeneam (Il. ρ. 327). Quamquam saepe ipsi dii ad fraudem et nequitiam adducunt homines, Iupiter tamen, ab hominibus immerito, ait, incusari deos; quum enim ipsorum improbitate et scelere contra fatum dolores sibi comparent, in deos ab iis miseriarum culpam conferri; Aegisthum argumento esse posse, qui quamquam a diis admonitus, quum quod ageret sibi ipsi perniciosum fore scivisset, contra tamen fatum adulterii cum Clytaemnestra facti et Agamnonis interfecti scelus commisisset (Od. α. 32 sqq.).

Quodquum videamus, nisi dii intercedant, fato homines a nulla re perpetranda prohiberi, iam disquirere conemur, qualem in hominum animos fati opinio exercuerit vim. Fati Homerici neque necessitas est talis, quae penitus obstringat et cogat, similis Horodoteo illi verbo: τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ [1]), et quantum in fato situm est manifesto docemur, homines fuisse liberrimos. Numquam fatum appellatur necessarium [2]), inevitabile, ineluctabile; enimvero tantum abest, ut prorsus immutabile sit et inevitabile, ut per fatum hominibus potestas et optio rerum suarum data sit. Ita Achilli et Euchenori binae nascentibus evenerant κῆρες: utram praeferrent in ipsorum arbitrio positum erat. Troiam ab Argivis captum iri nec Hector ignorat (Il. ζ. 446 sqq.)

[1]) I, 91.

[2]) Quod enim legimus ἦμαρ ἀναγκαῖον, non ad fatum vel mortem pertinet, sed ad servitutem, ἦμαρ illud, quo quis ad opus subeundum cogitur.

et probe sciunt Argivi (Il. δ. 160—168, alias); nec tamen tam certa haec sunt, ut Hector omnino defendi posse Troiam desperet, imo deorum fretus auxilio, qui, quamquam non celeriter (Od. γ. 147), flecti tamen possint precibus et obsequio (Il. α. 218. ι. 497) saepe Argivos devictum Troiamque oppugnatione liberatum iri speret (Il. ζ. 526 sqq. ϑ. 526. μ. 241. ν. 720, alias): non tam certa sunt, ut Argivi non saepius capiendae Troiae omnem spem abiiciant. Quin ipso etiam fato legimus constitutum fuisse, ut Troia servari pōtuisset, nisi ligneum illum equum intra muros recepisset (Od. ϑ. 510 sqq.): quum a diis certo decretus esset Troiae interitus, in fato una certe salutis via et ratio Troianis relicta erat; dii saeviores sunt fato. Socii Ulixis si ipsorum compescuissent libidinem, mortem effugere potuissent; sed quamquam norunt instantem ipsis, si Solis mactaverint boves, mortem, neque ipsi aviditatem coercent, et deus, ne mortem effugiant, adversum mittens ventum, in Thrinacia eos retinet Ulixemque somno consopiens, ut deterius valere possit consilium efficit [1]). Manifestissime autem libertatem humanam, ii de-

---

[1]) Omnino de Homero iam hoc tenere licet, quamquam non ubique tamquam norma valet, immeritas et indignas ab hominibus raro sustineri miserias. Ita Ulixes ipsius insolentia et superbia, qua Neptunum violarat, molestias illas et dolores sibi comparavit; remigium eius, si moderatum esset cupiditatibus, servatum esset; proci, quum tam deos quam homines contemnerent, dignas ipsorum improbitate et sceleribus poenas dederunt. Ajax, Oilei filius superba in deos insolentia ipse supplicii sui auctor factus est. Achilles et Agamemno per iurgia illa sibi ipsis calamitates colligunt et: quicquid delirant reges plectuntur Achivi (Hor. Epist. I, 2, 14). Quid quod laesa ab

monstrant loci, quibus revera aliquid contra fatum factum esse legimus. Etenim quamquam a diis constitutum erat, ut Argivorum copiae a Troianis profligarentur, tamen eos ipsorum fortitudine et virtute videmus superiores evadere (Il. π. 780. λ. 90). Quod quid significat aliud, nisi homines, modo ne ipsorum viribus diffidant, semper victores discedere posse, nisi intercedat deus? quid aliud exprobrat Apollo Troianis (Il. ϱ. 328 sqq.) quam hoc: si ipsorum desit fiducia, si ipsi trepident et desperent, ne Iovis quidem auxilium tantum valere, ut victoriam reportent? Quid Iupiter Od. α. 32 sqq. aliud dicere vult, quam suae quemque fortunae fabrum esse? Quicquid agit homo plerumque initio in libero ipsius consilio positum est; quod sequitur non ab ipso homine, sed a diis fatove pendet; ultro fere homines ita se gerunt, ut, quod fato statutum sit, exitum habeat [1]). Persaepe novisse legimus homines instantem sibi perniciem, ut Achillem, Euchenorem, Ulixis socios, Meropis filios (Il. β. 830), non tamen eos fatum evitasse; scientes et volentes ipsi ultro ad interitum ruunt. Fatum ut ratum fiat et expleatur nihil agit: imo liberrimus est homo, nisi dii ipsi exsequantur fatum vel homo ipsius usus consilio ad finem adducat. Per casum caecum et obscurum in Homericis carminibus nusquam legimus impletum aut retardatum esse fatum [2]), quum τύχης omnino notionem Home-

---

Alexandro hospitii sanctitas saepissime universis exprobratur Troianis, eodem modo, quo Hes. Ἔργα κ. ἡ. v. 213:

πολλάκι, inquit, *καὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,*
ὅςτις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

[1]) De qua hominum libertate Hermann Handbuch der Mythologie aus Homer und Hesiod p. 8.

[2]) Quo loco dissentire mihi liceat a Bernhardyo (Grundrifs

et probe sciunt Argivi (Il. δ. 160—168, alias); nec tamen tam certa haec sunt, ut Hector omnino defendi posse Troiam desperet, imo deorum fretus auxilio, qui, quamquam non celeriter (Od. γ. 147), flecti tamen possint precibus et obsequio (Il. α. 218. ι. 497) saepe Argivos devictum Troiamque oppugnatione liberatum iri speret (Il. ζ. 526 sqq. ϑ. 526. μ. 241. ν. 720, alias): non tam certa sunt, ut Argivi non saepius capiendae Troiae omnem spem abiiciant. Quin ipso etiam fato legimus constitutum fuisse, ut Troia servari pŏtuisset, nisi ligneum illum equum intra muros recepisset (Od. ϑ. 510 sqq.): quum a diis certo decretus esset Troiae interitus, in fato una certe salutis via et ratio Troianis relicta erat; dii saeviores sunt fato. Socii Ulixis si ipsorum compescuissent libidinem, mortem effugere potuissent; sed quamquam norunt instantem ipsis, si Solis mactaverint boves, mortem, neque ipsi aviditatem coercent, et deus, ne mortem effugiant, adversum mittens ventum, in Thrinacia eos retinet Ulixemque somno consopiens, ut deterius valere possit consilium efficit [1]). Manifestissime autem libertatem humanam, ii de-

[1]) Omnino de Homero iam hoc tenere licet, quamquam non ubique tamquam norma valet, immeritas et indignas ab hominibus raro sustineri miserias. Ita Ulixes ipsius insolentia et superbia, qua Neptunum violarat, molestias illas et dolores sibi comparavit; remigium eius, si moderatum esset cupiditatibus, servatum esset; proci, quum tam deos quam homines contemnerent, dignas ipsorum improbitate et sceleribus poenas dederunt. Ajax, Oilei filius superba in deos insolentia ipse supplicii sui auctor factus est. Achilles et Agamemno per iurgia illa sibi ipsis calamitates colligunt et: quicquid delirant reges plectuntur Achivi (Hor. Epist. I, 2, 14). Quid quod laesa ab

monstrant loci, quibus revera aliquid contra fatum factum esse legimus. Etenim quamquam a diis constitutum erat, ut Argivorum copiae a Troianis profligarentur, tamen eos ipsorum fortitudine et virtute videmus superiores evadere (Il. π. 780. λ. 90). Quod quid significat aliud, nisi homines, modo ne ipsorum viribus diffidant, semper victores discedere posse, nisi intercedat deus? quid aliud exprobrat Apollo Troianis (Il. ϱ. 328 sqq.) quam hoc: si ipsorum desit fiducia, si ipsi trepident et desperent, ne Iovis quidem auxilium tantum valere, ut victoriam reportent? Quid Iupiter Od. α. 32 sqq. aliud dicere vult, quam suae quemque fortunae fabrum esse? Quicquid agit homo plerumque initio in libero ipsius consilio positum est; quod sequitur non ab ipso homine, sed a diis fatove pendet; ultro fere homines ita se gerunt, ut, quod fato statutum sit, exitum habeat [1]). Persaepe novisse legimus homines instantem sibi perniciem, ut Achillem, Euchenorem, Ulixis socios, Meropis filios (Il. β. 830), non tamen eos fatum evitasse; scientes et volentes ipsi ultro ad interitum ruunt. Fatum ut ratum fiat et expleatur nihil agit: imo liberrimus est homo, nisi dii ipsi exsequantur fatum vel homo ipsius usus consilio ad finem adducat. Per casum caecum et obscurum in Homericis carminibus nusquam legimus impletum aut retardatum esse fatum [2]), quum *τύχης* omnino notionem Home-

Alexandro hospitii sanctitas saepissime universis exprobratur Troianis, eodem modo, quo Hes. *Ἔργα κ. ἡ.* v. 213:

πολλάκι, inquit, *καὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,*
ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

[1]) De qua hominum libertate Hermann Handbuch der Mythologie aus Homer und Hesiod p. 8.

[2]) Quo loco dissentire mihi liceat a Bernhardyo (Grundrifs

rus ignoraverit neque in verbo *τυγχάνειν* fortuiti praevaleat vis: numquam in fatum ab Homericis hominibus perfidiae convicia congeruntur, in deos persaepe: aut sponte ipsiusque usus consilio homo culpam in se admittit aut a diis inductus. Quamquam haec ad scelera adducens et corrumpens hominum mentes deorum vis immerito saepe accusatur, id quod conqueritur Iupiter Od. *α*. 32 sqq.; non raro enim ipsorum excusantes vitiosam naturam deorum praetendunt potentiam homines, ut Agamemno, Achilles, Helena; ab aliis autem, ut vidimus, pro Graecorum humanitate et comitate, scelerum criminationes, quum ipsorum hominum sit culpa, in deos congeruntur: negari tamen nequaquam potest, permultis locis tales apparere deos, qui ipsi hominum mentes inducant ad scelera aut deterreant a facinoribus, qui non vereantur, nefariorum hominibus delictorum auctores fieri, aut prohibere, ne culpa admittatur. Saepius etiam utrumque legimus, hominem ultro iam scelestum a diis etiam impulsum, aut, qui bona usus sit ratione, a diis etiam confirmatum esse. Itaque quum maxima sit deorum in mentibus hominum regendis potentia, quumque ipsi etiam homines nonnihil valeant ad temperandam fortunam: quum praeterea fatum ita comparatum sit, ut et evitari nonnumquam possit et mutari queat etiam ab hominibus: nusquam neque de ferocia hominum et audacia in fati immutabilitate et necessitate fiduciam collocante legimus; imo prudentissimus quisque ac sapientissimus, modeste deorum auxilio fretus, in horum favore sa-

---

der griech. Litt. I p. 180) dicente: so erkennt man über diesen noch ein übermächtiges, wenn gleich vom Zufall gehemmtes Schicksal an.

lutem suam arbitratur positam esse: neque inertem usquam invenimus patientiam; quum enim deorum ope tum ipsius omnium virium contentione vel asperrimam fortunam homo infringere, tempestates vel adversissimas effugere potest [1]. — A facinoribus perpetrandis homines deterret poenae divinae timor (*νέμεσις* et *ὄπις θεῶν*) et ipsorum verecundia (*αἰδώς* et *νέμεσις ἀνθρώπων*); ad virtutem impellit aliorum opinio (*κλέος* et *νέμεσις ἀνθρώπων*) [2]. Agamemno quidem (Il. *τ*. 90):

ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; inquit, *θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ*,

sed magni ponderis haec verba esse non possunt, quum, quibuscunque libidinem suam et insolentiam excuset, causas colligat: verius alias (Il. *β*. 378. *ι*. 116) et honestius ipsius animi pravitatem et vitiosos mores incusat. Fatum autem ipsum tantum abest, ut libertatem hominum imminuat [3], ut contra deorum libidinem hominibus videatur

---

[1]) De inerti omnino patientia nusquam legimus, saepius autem, aequo animo et patienter homini ferenda esse Iovis deorumque iussa et calamitatum quicquid a diis immissum fuerit: Il. *β*. 116. *ι*. 23. *κ*. 70. *μ*. 241. *ν*. 225. 632. *ξ*. 69. 120. *π*. 688. *ρ*. 176. 515. 647. *σ*. 115. 328. 439. *τ*. 273. *χ*. 285. 301. 365. *ψ*. 724. Od. *ι*. 262. *π*. 447. *ρ*. 424. *τ*. 80. *υ*. 201; accedit illud, quod persaepe legimus: *ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*.

[2]) Quae quanta fuerit, multi loci argumento sunt, quos enumerare omnes, quia longum est, hos adscribam: Il. *ι*. 459. *π*. 498. *ρ*. 142. *σ*. 178. *ρ*. 91. *χ*. 99. *ψ*. 494. Od. *β*. 101. *θ*. 185. *π*. 75. *τ*. 329—334. 527. *χ*. 39. *ω*. 196. 433.

[3]) Contraria est Richteri de fato sententia in Hall. Encyclopädie d. v. fatum: der Glaube an eine von den Menschen ganz unabhängige Bestimmung, die also im Character der Nothwendigkeit auftrat und mit der menschlichen Freiheit geradezu im

praesidium esse; id quod iam videamus. Quum dii sint identidem libidinosissimi, nam et ira saepissime studioque eo adducuntur, ut ratio vincatur temeritate, et saepenumero repentinae animi cogitationi indulgeant: quum praeterea deorum providentia non sit tanta, quae omnium rerum universitatem complectatur, imo tam in minutis rebus, quam in gravissimis etiam ipso instante discrimine quid agendum sit addubitent nec raro subito animi impulsu ducantur: talis, qualem apud Homerum esse cognovimus, fati cogitatio, sive deorum sunt decreta olim tranquillis et sedatis facta animis, sive legis illius aeternae instar sunt, quae unde oriunda sit nec sciebat poeta nec sciscitabatur, non poterat non eam habere vim, ut perturbatos hominum animos sedaret, ut eosdem consolaretur sollicitos [1]). Hoc certe hac opinione assecutus est Homerus aut undecunque haec carmina originem traxisse putanda sunt, ut libido deorum, deorum ira et studium, deorum, quam saepe tranquillae providentiae videmus loco, temeritas limitibus quibusdam circumscripta sit, sine ira et studio constitutis. Fati potentia, quamquam cogente neces-

Widerspruche stand, mufste sich sehr frühzeitig ausbilden, da die Erfahrung bald lehren konnte, wie oft menschliche Kraft und Klugheit an dem Walten einer unsichtbaren Macht scheitert, die nach ganz andern Berechnungen ihre Verfügungen zu treffen scheint. Haec in tragicorum magis, quam in Homeri fatum cadere videntur.

[1]) Iam intelligimus, quomodo Hectoris verba Il. ζ. 487 sqq. Andromachae solatio esse possint; cf. Manso l. c. p. 393. A diis prorsus destituta erat Troiae salus, per fatum una certe propulsandi exitii patefacta erat via (Od. ϑ. 510 sqq).

sitate deorum consilia adstringere nequit, maximam tamen vim habet ad dirigendas eorum mentes, quamquam ad omnes [1]), quaecunque geruntur, res pertinere non videtur, multarum certe earundemque gravissimarum est lex et norma. Ad eandem igitur, quamquam alia via, nos quoque pervenimus de fati origine sententiam atque exposuit Naegelsbachius l. c. p. 127. [2]). Deorum inconstantiae, studio, libidini, saepe etiam temeritati fatum opponitur, quod, quum ab ira aeque remotum sit atque a studio, semper sibi constat, semper tranquillum est, cuius, quamquam necessitate non obstringit, certissima tamen sunt decreta. Quis in hac fati cogitatione non intelliget verae unius dei cognitionis paullatim nascentis posita esse initia? Est desiderium illud et contentio, qua universa antiquitas ad veram dei notitiam eniti studet de eaque Paulus Epist. ad Roman. VIII, 22: *οἴδαμεν γὰρ*, inquit, *ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.* Quatenus in hoc studio profecerit Homerus, ex iis, quae diximus, manifestum fore speramus. Unum deum, qui omnia provideat, qui potentia et scientia complectatur omnia, huius aetatis homines mente concipere non poterant: praeter deorum multitudinem fati inchoata est informatio, cuius fati opinio tam vaga est, tam obscura, ut in eo acquiescendum

[1]) Maetzner l. c. p. 80: Ceterum nusquam apparet in Homericis notio fati ad universam rerum naturam pertinentis: quaedam *πάλαι* constituta sunt: alia occasione data decernuntur: providentiam divinam despicientem universum mundum illorum hominum non capit cogitatio.

[2]) „ein weiterer Versuch das Bedürfnifs des Menschengeistes nach monotheistischer Weltanschauung zu befriedigen.“

esse existimaverim, si quis qualis appareat et quae huius opinionis origo esse videatur, proposuerit: sed vix de his quidem explorata et comperta constitui poterunt [1]).

[1]) Vide quae pulcherrime et elegantissime in quaestionis de Parcarum natura institutae exordio disseruit Manso l. c. p. 393; quae eius disputatio repetita est in: Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften und freien Künste Bd. 36. 1. Stück.

VITA.

Ioannes Augustus Ludovicus Mueller natus sum XVII. mensis Sept. die a. MDCCCXXVIII in pago, qui nomen habet Gehrden et prope Magdeburgum situs est, patre Ioanne Christiano, qui ibi librorum sacrorum interpretis munere fungitur et sacerdotium gerit, matre Iulia e gente Axt; quos ambos dei benignitate superstites adhuc esse gaudeo. Postquam pater ipse prima literarum elementa me docuit, per VII annos frequentavi gymnasium Vitebergense, quod etiamnunc floret sub auspiciis Cel. Schmidt, cui optime de me merito non possum quin hac oblata occasione gratias agam quam maximas. Maturitatis testimonium nactus quum inde ab anni MDCCCXXXXVIII semestri aestivo almae universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis civibus adscriptus essem, scholis interfui per quadriennium Ill. Boeckh, Franz, Gelzer, Gerhard, Lachmann, Nitzsch, Ranke, de Raumer, Trendelenburg, Beneke, Curtius, Geppert, Hertz. Quos omnes viros celeberrimos doctissimosque pio semper gratoque animo colam.

THESES.

1. Soph. Oed. Col. v. 449 (Wunder) legendum videtur: τά τε ξένῳ κ. τ. λ.
2. Livium propter repugnantias, quae inveniantur in opere, non magnopere reprehendendum esse.
3. Ciceronem, si historiam conscripsisset, historici officiis satisfacturum fuisse haud videri.
4. Eos, qui particula „et" pro „etiam" utantur Ciceronis etiam auctoritate niti posse.